

## LIBER QUINTUS

---

# DE PRAECEPTIS STATUUM VITAE

1093 — Post praecepta omnibus communia, agendum est de propriis certorum statuum singillatim. Status stricte acceptus quamdam firmitatem denotat, unde definitur: Conditio vitae immutabilis, qua alteri obstricti sumus. Hoc modo tres in Ecclesia status inveniuntur: 1º Status Clericalis, quo Clerici obstricti sunt obsequio Ecclesiae; 2º Status Religionis canonicus christianae perfectionis acquirendae, quo fideles sive religiosa perfectione sive alio perpetuo vinculo per observantiam consiliorum evangelicorum obsequio Domini sunt obstricti; 3º Status matrimonii, quo coniuges mutuo obsequio sibi invicem obligantur. Quum porro de obligationibus coniugum in quarto Decalogi praecepto sermonem fecimus, ac denuo instituemus in tractatu de Matrimonii Sacramento, in hoc libro de statu matrimonii non disseremus, sed eius loco de officiis quorundam saecularium tractabimus.



# TRACTATUS I. DE STATU CLERICALI

1094. — Tractandum erit: 1º de obligationibus communibus Clericorum, 2º de officiis Parochorum, 3º de officiis Episcoporum. Reliqua, quae spectant ad Canonicorum officia, ad Beneficia Ecclesiastica, remittimus ad Iuris Canonici interpres.

## Pars Prior.

### De obligationibus communibus clericorum

S. Alf. lib. 4. H. A. Appendix 3.

Ad quinque capita reduci queunt, quae sunt: 1º interior sanctimonia, 2º honesta conversatio, 3º habitus clericalis et tonsura, 4º divini Offici recitatio, 5º nonnulla clericis prohibita.

#### CAPUT I. INTERIOR SANCTIMONIA

1095. — I. CLERICI OMNES, utpote specialiter vocati in sortem Domini, atque divinis obsequiis mancipati, et in castris Dominicis supra alios positi, debent sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere eisque virtute et recte factis in exemplum excellere. (can. 124.)

Ad hanc vitae sanctitatem promovendam current locorum Ordinarii:

1º Ut clerici omnes Poenitentiae sacramento frequenter conscientiae maculas eluant.

2º Ut iidem quotidie orationi mentali per aliquod tempus incumbant, sanctissimum Sacramentum visitent, Deiparam Virginem mariano rosario colant, conscientiam suam discutiant. (can. 125. Cfr. etiam can. 1367. [pro alumnis Seminariorum] et S. Thom. Suppl. qu. 35. a. 1. ad 3.)

II. Maxime autem SACERDOTES, propter excellentiam ministerii; ad magnam honestatem et virtutem obligantur, ut docent SS. Patres scribentes de Sacerdotio, praesertim S. Chrysostomus et S. Ambrosius.

Unde D. Thomas loquens de Sacerdote in 2. 2. *qu.* 184. *a.* 8. dicit: « Per sacrum Ordinem aliquis deputatur ad dignissima ministeria, quibus ipsi Christo servitur in Sacramento Altaris, ad quod requiritur maior sanctitas interior, quam requirat etiam Religionis status. » Idecirco Conc. Trid. *sess.* 22. *cap.* 1. *ref.* saluberrime monuit: « Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt; cum enim a rebus saeculi in altiore sublati locum conspiciantur, in eos tamquam in speculum reliqui oculos coniiciunt, ex eisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum prae se ferant; levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. »

Ideo etiam can. 126 statuit: « Omnes sacerdotes saeculares debent tertio saltem quoque anno spiritualibus exercitiis, per tempus a proprio Ordinario determinandum, in pia aliqua religiosave domo ab eodem designata vacare; neque ab eis quisquam eximatur, nisi in casu particulari, iusta de causa ac de expressa eiusdem Ordinarii licentia. »<sup>1)</sup>

## CAPUT III.

### HONESTA CONVERSATIO

**1096.** — Quamvis vita Clericorum omnium virtutum exercitio elucere debeat, quaedam tamen sunt, quae statui eorum apprime conveniunt, populumque maxime aedificant; sunt autem castitas, sobrietas, liberalitas, mansuetudo, obedientia, assiduus sacrarum praesertim scientiarum cultus, et sedula sacri Officii administratio. De postrema acturi in parte secunda, de caeteris pauca hoc loco dicemus.

#### *Articulus I.*

#### Continentia.

**1097.** — Clericorum integritas vitae maxime elucere debet in studio castitatis. Unde etiam canones plura hac de re praescribunt et quidem:

In Ecclesia Occidentali: *A. QUOD CLERICOS MAIORES:* I. Clerici in maioribus ordinibus constituti a nuptiis arcentur et servandae castitatis obligatione ita tenentur, ut contra eandem peccantes sacrilegii quoque rei sint. (can. 132. § 1.) Clericus autem, qui metu gravi coactus ordinem sacrum recepit nec postea eandem ordinationem ratam habuit, ad statum laicalem sententia iudicis redigatur sine ullis coelibatus obligationibus. (can. 214. § 1.)<sup>2)</sup> Coniugatus vero qui sine dispensatione apostolica ordines

<sup>1)</sup> Cfr. Litt. encycl. Pii XI de exercitis spiritualibus 20 Dec. 1929. (*A. A. S.* 1929. p. 689); ibi etiam recollectio menstrua vel saltem tertio quoque mense instituenda clericis maxime commendatur.

<sup>2)</sup> Regulas servandas in tali processu cfr. in Decreto S. O. Sacr. 9 Iunij 1931. *A. A. S.* p. 457.

maiores, licet bona fide, suscepit, ab eorundem ordinum exercitio prohibetur. (can. 132. § 3.) Si vero cum dispensatione sacro ordini initiatus fuerit, usus matrimonii ei interdicitur. (cfr. can. 1114.)

II. Clerici in sacris ordinibus constituti non tantum illicite, sed etiam invalide attentant matrimonium. (can. 1072.)<sup>1)</sup> Insuper iidem itemque omnes cum ipsis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere prae-sumentes, incurruunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam; clerici praeterea si moniti, tempore ab Ordinario pro adiuncitorum diversitate praeferito, non resipuerint, degradentur. (can. 2388. § 1. Cfr. tom. II. n. 1065.) Insuper sunt irregulares (can. 985. 3; cfr. tom. II. n. 605, 2º et 609. 1º ubi de praxi S. Off. pro dispensatione ab irregularitate.)

III. Clerici in sacris sive saeculares sive religiosi: 1º *concubinarii*, monitione inutiliter praemissa, cogantur ab illico contubernio recedere et scandalum reparare suspensione a divinis, privatione fructuum officii, beneficii, dignitatis, servatis canonibus 2176-2181 de modo procedendi contra clericos concubinarios. (can. 2359. § 1.)

2º Si delictum admiserint contra sextum decalogi praeceptum cum minoribus infra aetatem sedecim annorum, vel adulterium, stuprum, bestialitatem, sodomiam, lenocinium, incestum cum consanguineis aut affinibus in primo gradu exercuerint, suspendantur, infames declarantur, quolibet officio, beneficio, dignitate, munere, si quod habeant, priventur, et in casibus gravioribus deponantur. (can. 2359. § 2.) Cfr. supra n. 623 de praxi S. Officii.

3º Si aliter contra sextum decalogi praeceptum deliquerint, congruis poenis secundum casus gravitatem coercentur, non excepta officii vel beneficii privatione, maxime si curam animarum gerant. (can. 2359. § 3.)

B. QUOAD CLERICOS MINORES: I. Possunt quidem nuptias imire, sed, nisi matrimonium fuerit nullum, vi aut metu eisdem incusso, ipso iure a statu clericali decidunt. (can. 132. § 2.) Coniugati autem vivente uxore a suscipiendis ordinibus arcentur. (can. 987. 2º.)

II. Si clericus matrimonium, etiam civile tantum, ut aiunt, contraxerit, ob tacitam renuntiationem ab ipso iure admissam quaelibet eius officia vacante ipso facto et sine ulla declaratione. (can. 188. 5º.) Hoc a fortiori valet pro clero maiori.

III. Clerici in minoribus ordinibus constituti, rei alicuius delicti contra sextum decalogi praeceptum, pro gravitate culpae puniantur etiam dimissione e statu clericali, si delicti adiuncta id suadeant, praeter alias poenas ob nonnulla delicta, in can. 2357 etiam laicis comminatas. (can. 2358.)

1098. — In Ecclesia Orientali. I. Clerici coniugati minores possunt ad ordines sacros promoveri et nihilominus consortium maritale continuare;

<sup>1)</sup> De origine impedimenti cfr. tom. II. n. 727.

exceptis promotis ad dignitatem episcopalem; hi enim ad perfectum caelitatum tenentur.

II. Clerici, semel *saceris* ordinibus initiati, a nuptiis ineundis arcentur. Cfr. Wernz-Vidal. II. n. 108.

III. Aliquando ex iure particulari disciplina severior viget. Ita Malabarenses omnino caelitatum latinum receperunt. Armeni, Rumeni et Italo-Albanenses nonnisi post lectoratum (ante subdiaconatum) unicum validum matrimonium inire possunt. In Canada et Statibus foederatis Am. Sept. nonnisi caelibes et vidui ad sacrum ministerium exercendum admittuntur; imo etiam vidui ex iusta causa possunt excludi ab iis dioecesis in quibus eorum proles forte degat aut quoquo modo inveniatur, pariterque in viciniis eorumdem locorum. Alicubi in Seminarium non admittuntur nisi ii qui caelitatum servare intendunt; vel saltem tales paeferuntur quoad admissionem et ordinationem, et beneficiorum provisionem.<sup>1)</sup>

1099. — **Origo legis caelibatus.** Communis sententia, contra paucos, docet caelitatum iure *ecclesiastico* adnexum esse Sacris Ordinibus; tum quia nullum exstat praceptorum divinum, tum quia Trid. loc. cit. id significat verbis: «non obstante lege ecclesiastica vel voto», nullam mentionem faciens iuris divini. (*lib. 6. n. 807.*)

Quaeritur autem, num obligatio servandae castitatis perfectae oriatur ex sola lege ecclesiastica an etiam ex voto iure ecclesiastico in sacra Ordinatione emitendo. Iamvero ex sententia communiori obligatio haec in ecclesia occidentali oritur ex utroque capite, uti patet v. g. ex praxi primaeva huius Ecclesiae et ex effatis Bonifacii VIII et Benedicti XIV. Cfr. Wernz-Vidal. V. n. 283. 284. Et ita si quis ordinem sacrum suscipiendo expresse nolle castitatem vorere, teneretur tamen ex lege ecclesiastica, quae eum ex motivo religionis ad castitatem perfectam adstringit; quare si contra castitatem peccaret, committeret sacrilegium. (*Lib. 6. n. 809. Exam. ordin. n. 59.*)

In ecclesia vero orientali pro clericis coniugatis maioribus prohibitio secundi matrimonii ex sola lege ecclesiastica repetenda esse videtur, quum nullum ab iis exigatur votum ante ordines maiores. Imo, vel ab ipsis clericis qui caelibes sacros ordines suscipiunt, votum proprio dictum perfectae castitatis minus aperte videtur exigi quam in Ecclesia latina, quum interrogantur solummodo num continentiam servare velint; quam si promittunt, ordinantur; securus ante Ordines maiores matrimonium inire debent. Ita Wernz-Vidal. II. n. 108. Cfr. etiam Cappello. *de Matrim.*<sup>2)</sup> *Appendix de iure matrim. Eccl. orient. n. 907.*

Quamvis autem caelibatus non sit institutio iuris divini, attamen dici potest et debet eum esse *institutionem apostolicam*, hoc saltem sensu, quod clerici coniugati, qui aetate iam provecta ad clerum fuerunt assumpti, *ex laudibili more et consuetudine* inde ab aetate Apostolorum ab usu matrimonii abstinuerunt. At certis et concludentibus argumentis hucusque non est probatum *generali et expressa* lege ab ipsis Apostolis lata eos ad hoc *stricto iure* fuisse obligatos. — Certo tamen iam saeculo quarto in Ecclesia occidentali

<sup>1)</sup> Cfr. plura apud Cappello. *de Matr. App. I. n. 910.*

clericis coniugatis maiorum ordinum ex consuetudine *vim legis habente* ab usu matrimonii erant exclusi et ad caelibatum servandum obligati; id quod etiam obtinuit in iis regionibus orientalibus, ubi canones accurate observabantur. Certo etiam viri soluti, ad maiores ordines admissi, ex antiqua traditione postea eodem rigore a matrimonio contrahendo erant prohibiti quo clericis maioribus coniugatis secundae nuptiae fuerunt interdictae. Ita Wernz-Vidal. II. n. 105.

### *Articulus II.*

#### **Temperantia et modestia.**

1100. — Quandoquidem, ut aiunt Prov. xx. 1: « Luxuriosa res vi-  
num », continentiae socia est temperantia. Clerici itaque non modo a cra-  
pula et ebrietate caveant, sed a multo quoque vino, prout vult Apost.  
I. Tim. iii. 8: « Non multo vino deditos. » Frugali mensa utantur, lauta  
convivia non parent; in frequentandis laicorum conviviis parcet et cauti  
sint; ab adeundis conviviis nuptialibus, et coenis quae in multam noctem  
protrahuntur, abstinentem sibi ducant. S. Hieronymus scripsit: « Facile  
contemnitur Clericus, qui saepe vocatus ad prandium ire non recusat...  
raro accipiamus rogati. »<sup>1)</sup>

Insuper et a saeculari fastu alieni esse debent. Quare tum domus eorum,  
tum tota supellex modestiam, simplicitatem, ac vanitatum contemptum  
annuntient; honesta quidem omnia atque ordinata sint, sed absque ulla  
sumptuositate ac mundana ostentatione. Turpe sane esset luxum prosequi  
eos, quorum est contra immoderatum aevi nostri fastum vocem attollere.  
(Trid. sess. 25. cap. 1. ref.)

### *Articulus III.*

#### **Liberalitas et mansuetudo.**

1101. — « Ab ecclesiastico ordine omnis avaritiae suspicio abesse  
debet », inquit Conc. Trid. sess. 21. cap. 1. ref.: « Avaro autem nihil est  
scelestius... Nihil est iniquius quam amare pecuniam. » (Eccli. x. 9. 10.) In Clerico autem et tetrius adhuc esset hoc vitium, quod cum duritie et  
immisericordia iungi solet; vixque aliud tantopere minuit fidelium aesti-  
mationem atque fiduciam, quam immoderata in Sacerdote habendi cupido.  
Quamobrem sint ministri Dei patres pauperum, sint viduarum et orpha-  
norum patroni; in eleemosynis distribuendis, in piis operibus largitionibus  
suis adiuvandis, exemplo fidelibus praeeant. Cfr. hac de re Trid. sess. 25.  
cap. 1. ref.

Mansuetudo maxime decet ministros Agni mansueti, qui nos docuit:  
« Discite a me, quia mitis sum et humilis corde » (Matth. xi. 29); turpis  
proinde in illis est iracundia. Mansuetudo quidem minime prohibet, cum  
officium exposcit, subditos corripere cum fortitudine, at comite semper  
lenitate; quem ad finem hortatur Apostolus, ut, priusquam alios corri-

<sup>1)</sup> Epist. ad Nepotian. Migne. Patrolog. tom. 22. col. 539.

pimus, proprios defectus attendamus, unde compati proximo discamus: « Fratres, et si praecoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris. » (Gal. vi. 1.) Quapropter omnibus sit regula S. Gregorii:<sup>1)</sup> « Sit amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; sit pietas, sed non plus quam expedit parvus. »

Lubet hic subiungere praeclarata monita S. Polycarpi in *Epist. ad Philipp. n. VI*: « Presbyteri sint ad commiserationem proni, misericordes erga omnes, aberrantia reducentes, visitantes infirmos omnes, non negligentes viduam aut pupillum aut pauperem; sed solliciti semper de bono coram Deo et hominibus,<sup>2)</sup> abstinentes ab omni ira, acceptione personarum, iudicio iniusto, longe recedentes ab omni avaritia, non cito credentes adversus aliquem, non severi nimium in iudicio, scientes nos omnes debitores esse peccati. »

#### *Articulus IV.*

##### **Obedientia.**

**I.** Omnes clerici, praesertim vero presbyteri, *speciali* obligatio tenentur suo quisque Ordinario reverentiam et obedientiam exhibendi. (can. 127.)<sup>3)</sup>

**II.** Quoties et quamdiu id, iudicio proprii Ordinarii, exigat Ecclesiae necessitas, ac nisi legitimum impedimentum excusat, suscipiendum est clericis ac fideliter implendum munus quod ipsis fuerit ab Episcopo commissum. (can. 128.)

**III.** Clerici, licet beneficium aut officium residentiale non habeant, a sua tamen dioecesi per notabile tempus sine licentia saltem praesumpta Ordinarii proprii ne discedant. (can. 143.)

**IV.** Qui cum licentia sui Ordinarii in aliam dioecesim transierit, suae dioecesi manens incardinatus, revocari potest, iusta de causa et naturali aequitate servata; et etiam Ordinarius alienae dioecesis potest ex iusta causa eidem denegare licentiam ulterioris commorationis in proprio territorio, nisi beneficium eidem contulerit. (can. 144; cfr. et can. 111-117.)<sup>4)</sup>

#### *Articulus V.*

##### **Cultus scientiarum.**

**I.** Clerici studia, praesertim sacra, recepto sacerdotio, *ne* *intermittant*: et in sacris disciplinis solidam illam *doctrinam* a *maioribus*

<sup>1)</sup> Moral. lib. 20. cap. 6.

<sup>2)</sup> Rom. XII. 17.

<sup>3)</sup> Cfr. N. K. S. 1912. p. 9 et 67; 1914. p. 100.

<sup>4)</sup> Ex decreto S. C. Consist. *Magni semper* 30 Dec. 1918 Sacerdotes qui temere arroganterque demigraverint, non servatis legibus a S. Sede statutis pro Clericis demigrantibus ex Europa et Mediterranei oris ad Americam vel ad insulas Philippinas, ipso facto manent suspensi a divinis; qui nihilominus sacris operari audent in irregularitatem incident; a quibus poenis absolviri non possunt nisi ab ipsa illa S. Congr. Cfr. A. A. S. 1919. p. 39.

*traditam et communiter ab Ecclesia receptam sectentur, devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam.* (can. 129.)

II. Expleto studiorum curriculo, sacerdotes omnes, etsi beneficium paroeciale aut canonicale consecuti, nisi ab Ordinario loci ob iustum causam fuerint exempti, *examen singulis annis saltem per integrum triennium* in diversis sacrarum scientiarum disciplinis, antea opportune designatis, subeant secundum modum ab eodem Ordinario determinandum. In collatione officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum ratio habeatur eorum qui, ceteris paribus, in memoratis periculis magis praestiterunt. (can. 130.) — Sacerdotes qui neque ab Ordinario dispensati neque legitimo impedimento detenti examen facere renuerint, ab Ordinario *congruis poenis* ad illud cogantur. (can. 2376.)

Parochi vel vicarii curati *religiosi* examen istud non tenentur subire coram Ordinario eiusve delegato, si coram Superiore religioso eiusve delegatis examen subierint, de quo sermo est in can. 590. — Vi autem huius canonis religiosi sacerdotes, iis tantum exceptis qui a Superioribus maioribus ob gravem causam fuerint exempti, aut qui vel sacram theologiam vel ius canonicum vel philosophiam scholasticam doceant, post absolutum studiorum curriculum, quotannis saltem per quinquennium, a doctis gravibusque patribus examinentur in variis doctrinae sacrae disciplinis antea opportune designatis. — In casu autem negligentiae Superiorum religiosorum circa istud examen, recurrendum est ad S. C. de Religiosis. Cfr. Comm. Cod. Int. 14 Iulii 1922, sub II. (A. A. S. 1922. p. 526.)

III. In civitate episcopali et in singulis vicariatibus foraneis saepius in anno, diebus arbitrio Ordinarii loci praestituendis, conventus habeantur, quos *collationes* seu *conferentias* vocant, de re morali et liturgica; quibus addi possunt aliae exercitationes, quas Ordinarius oportunas iudicaverit ad scientiam et pietatem clericorum promovendam. — Si conventus haberi difficile sit, resolutae quaestiones *scriptae* mittantur, secundum normas ab Ordinario statuendas. — *Conventui interesse*, aut deficiente conventu, scriptam casuum solutionem mittere debent, nisi a loci Ordinario exemptionem antea expresse obtinuerint, tum omnes sacerdotes saeculares, tum religiosi licet exempti curam animarum habentes et etiam, si collatio in eorum domos non habeatur, alii religiosi qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario obtinuerunt. (can. 131.)<sup>1)</sup> Inter curam animarum habentes non versantur religiosi sacerdotes, qui solummodo funguntur munere cathechistae; versantur vero religiosi vicarii cooperatores vel cappellani, si, ad normam can. 476. § 6. vicem parochi suppleant eumque adiuvent in universo paroeciali ministerio.<sup>2)</sup> — Sacerdotes *contumaces*, Ordinarius pro suo prudenti arbitrio *puniat*; quodsi fuerint *religiosi confessarii* curam animarum non gerentes, eos ab audiendis saecularium confessionibus *suspendat*. (can. 2377.)

<sup>1)</sup> De officio Vicarii foranei hac in re cfr. can. 448. § 1. — De casibus in dominibus formatis religiosorum habendis cfr. can. 591.

<sup>2)</sup> O. C. Int. 12 Febr. 1935 sub I. A. A. S. XXVII (1935) p. 92.

## CAPUT III.

## HABITUS CLERICALIS ET TONSURA

**1104.** — Omnes clerici decentem habitum ecclesiasticum, secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta, deferant: tonsuram seu coronam clericalem, nisi recepti populorum mores aliter ferant, gestent, et capillorum simplicem cultum adhibeant. (can. 136. § 1.)

Annulo ne utantur, nisi id ipsis a iure aut apostolico privilegio sit concessum. (Ibid. § 2.)

Porro: 1º Clerici habitum ecclesiasticum, legitima consuetudine vel Ordinarii loci praescripto determinatum, publice semper deferre debent, etiam tempore aestivarum vacationum. (S. C. Conc. 28 Iulii 1931.)<sup>1)</sup> Sacerdos, Missam celebratus, deferat vestem convenientem quae ad talos pertingat (can. 811. § 1.); et curandum est ut Sacerdotes etiam in Sacramentis publice ministrandis hac eadem veste utantur. (S. C. Conc. deer. cit.)

In habitu porro clericali nihil vanum, curiosum, aut nimis pretiosum appareat; nihil pariter sordidum, lacerum nimisque abiectum. Cfr. *Acta Ap. Sedis*. 1916. p. 148.

2º *Tonsura* proprie significat comam modeste praecisam; hodie vero, ut in can. 136. § 1, idem significat ac corona. De coma tantum dicitur: «capillorum semplicem cultum adhibeant.» (Bened. XIV. *Instit.* 71. n. 6. *Revue théol.* 1873. pag. 167. *seqq.*)

Abusus ergo est in Clericis, si comam porrectam gerant, eamve more saecularium vane inungant vel retro agant.

3º *Corona* gestatur in vertice capitis, abrasio in modum circuli capillis. Corona Clerici uonduum Sacerdotis parvae hostiae magnitudinem habere debet; Sacerdotis maiori hostiae similis sit; Episcopi et Cardinalis eiusdem hostiae amplitudinem paulum excedere debet. (Bened. XIV. *Instit.* 96. n. 12.)

4º Quoad *barbae* gestationem, novo Codice non est data quibuscumque clericis saecularibus libertas gestandi barbam; et consequenter Episcopis competit, prohibitionem hucusque vigentem in suo robore sustinere pro dioecesibus suis. Ita S. C. Conc. resp. 10 Ian. 1920.)<sup>2)</sup>

**1105. — Quaestiones. — QUAER.** 1º *Quasnam POENAS incurvant Clerici habitum clericalem non deferentes.*

*Resp.* 1º Clerici minores qui propria auctoritate sine legitima causa habitum ecclesiasticum et tonsuram dimiserint, nec, ab Ordinario moniti, sese intra mensem emendaverint, ipso iure e statu clericali decidunt. (can. 136. § 3.)

<sup>1)</sup> *A. A. S.* 1931. p. 337.

<sup>2)</sup> Cfr. *A. A. S.* 1920. p. 43. Cfr. etiam *Linzer Quartalschr.* 1919. p. 224. 571. Wernz-Vidal. II. n. 100. II.

2º Clerici autem *maiores*, ab ordinibus susceptis suspendantur, et si ad vitæ genus a statu clericali alienum notorie transierint, nec, rursus moniti, resipuerint, post tres menses ab hac ultima monitione deponantur. (can. 2379.)

Quaelibet vero eorum officia ipso facto vacant ob tacitam renuntiationem ipso iure admissam. (can. 188. n. 7.)

QUAER. 2º *Quantum PECCATUM committant clerici habitum clericalem non deferentes.*

*Resp.* Peccant in genere graviter, uti patet ex gravitate poenae necnon ex doctrina Conc. Trid. (Sess. 14. Cap. 6. ref.) ubi temeritatis religionisque contemptus arguuntur Clerici, qui propriam dignitatem et honorem clericalem parvi pendentes etiam publice vestes laicales deferunt.

Excipiunt tamen DD.: 1º si fiat ad breve tempus, sine pravo fine et sine gravi scandalo; 2º si adsit iusta causa, v. g. ad vitandum periculum mortis, vel damni gravis. (Lib. 6. n. 825. Examen Ord. n. 49.) Denique, in itinere licitum est induere vestem clericalem breviorem (Reiffenst. Lib. 3. Decret. tit. 1. n. 114; Wernz. II. n. 177; Syn. prov. Ultraj. Tit. 8. can. 5.)

QUAER. 3º *An peccent graviter clerici non deferentes TONSURAM seu CORONAM.*

*Resp.* Non liquet, nisi habeatur contemptus, aut saltem per tempus valde diuturnum, puta per plurimos menses aliquis in sacris omittat deferre tonsuram. (Lib. 6. n. 826. H. A. append. 3. n. 50.)

QUAER. 4º *An liceat clericis deferre COMAM FICTAM.*

*Resp.* Licet ex iusta causa, v. g. ob debilitatem capitis, cum licentia Episcopi, modo coma modesta sit. Celebrare autem cum ea tremendum Missæ Sacrificium non licet nisi cum facultate S. Porificis. (Lib. 6. n. 398. Ben. XIV. Syn. Lib. 11. Cap. 9. Wernz-Vidal. II, n. 101.)

## CAPUT IV.

### DIVINUM OFFICIUM

Agendum: 1º de notione divini Officii, 2º de eiusdem obligatione, 3º de modo illud recitandi, 4º de causis ab Officii recitatione excusantibus.

#### *Articulus I.*

#### **Notio divini Officii.**

1106. — Officium divinum est forma laudandi et precandi Deum instituta ab Ecclesia, et a personis ecclesiasticis eius nomine persolvenda. Est oratio per se *publica* Ecclesiae; quia vice totius Ecclesiae ab eiusdem ministris funditur, etiamsi fiat privatim.<sup>1)</sup>

Appellatur Officium *divinum*, quia institutum est ad laudandum et orandum Deum, quod opus merito divinum nominatur, et est Officium maxime proprium Clericis. Vocabatur etiam nomine *Horarum canoniarum*, quia partes eius principaliores, per certas diei

<sup>1)</sup> Cfr. Pius XII. Encycl. *Mediator Dei*. 20 Nov. 1947. (A. A. S. 1947 p. 573). Etiam supra n. 409.

horas distributae sunt, ad imitationem Prophetae dicentis: « Septies in die laudem dixi tibi. » (Ps. cxviii. 164.) Dicitur quoque *Breviarium*, vel quia compendiose continet Vetus et Novum Testamentum, Patrum praecepta, et vitas Sanctorum; vel potius quia in statu hodierno compendium est Officii longioris, quod primitus recitabatur.

Dividitur divinum Officium in: Officium *nocturnum*, ad quod pertinet Matutinum cum Laudibus; et *diurnum*, quod reliquae horae componunt, nempe Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperae, et Completorium. Officium nocturnum sic dicitur, quia olim, et etiam nunc in pluribus monasteriis, nocte recitatur exemplo prophetarum, Christi, et Apostolorum, qui nocte orare consueverunt.

### *Articulus II.*

#### *Obligatio divini Officii.*

**1107. — Principia. I.** *Officium divinum recitare debent:* 1º omnes Clerici sacris Ordinibus initiati, etiam excommunicati, suspensi, et interdicti; (can. 135.) 2º Beneficiarii, post adeptam Beneficii possessionem, dummodo fructus producat; (can. 1475. § 1.) 3º Religiosi utriusque sexus vota solemnia professi et ad Chorum deputati (can. 610.), etiam fugitiivi et apostatae. (n. 140. 141. 144.)<sup>1)</sup>

**II.** *Obligatio recitandi divinum Officium singulis diebus est GRAVIS ex genere suo.* Ratio, quia est lex Ecclesiae in materia gravi. (n. 146. 142.)

Ex communi DD. sensu ea censetur materia gravis, quae integrae Horae parvae quantitatem attingit. Gravis quoque censetur omissio si de Hora parva aliquid nimis modicum dicatur. Unde non peccet graviter, qui Vesperas Sabbati Sancti omittireret. (n. 147.)

Deinde, qui totum omittit Officium, unum tantum committit peccatum; quia totum Officium unius diei cadit sub uno praecepto, siquidem praeceptum Officii non est septuplex ex septem Horis dicendis, sed unum praecipiens unicum Officium septem partibus constans. Si quis tamen plures Horas omitteret ex propositis moraliter interruntis, tunc plura committeret peccata. *Ita communiter.* (n. 147. 148.)

**1108. — Quaestiones. QUAER.** 1º *Qualem Officii partem recitare teneantur Subdiaconi eo die, quo ordinantur.*

*Resp.* Tenentur ad Horam respondentem horae, qua Ordinem suscipiunt: quapropter regulariter tenentur recitare ab Hora Prima vel Tertia. (n. 140. *Exam. Ordin.* n. 61.)

*QUAER.* 2º *An Subdiaconus satisficiat obligationi suae recitando partem illam ante Ordinationem.*

*Resp.* *Controv.* 1ª Sententia probabilior negat; quia debito satisficeri nequit antequam contrahatur, et Officium persolvendum est nomine Ecclesiae; sed, qui needum est Subdiaconus, nequit nomine Ecclesiae Officium recitare.

<sup>1)</sup> De obligatione ipsius Capituli vel Conventus ad *chorum* habendum deque obligatione exinde pro membris eius orientibus cfr. infra n. 1111 et 1112.

2<sup>a</sup> Sententia probabilis affirmat; tum quia est velut anticipata solutio debiti ipso die obligationis: tum quia Sacerdos excommunicatus nec etiam potest orare nomine Ecclesiae, neque orationem publicam facere, et nihilominus tenetur Officium recitare, et recitando satisfacit; ergo ad satisfaciendum *necessae* non est ut recitans nomine Ecclesiae oret. (*n.* 140.)

**QUAER.** 3<sup>o</sup> *Si quis dubitat num omiserit aliquid in Officio, an teneatur id recitare.*

*Resp.* 1<sup>o</sup> Scrupulosi non tenentur; colligitur ex principio: «Ex communiter contingentibus prudens fit praesumptio»; in illis enim dubia communiter non sunt vera dubia, sed inane anxietates.

2<sup>o</sup> Quoad alios, distinguendum: dubius dubio *stricto* tenetur; quia possidet praeceptum. Si vero *praesumptio* adest se dixisse, non tenetur: quia pro qua parte stat *praesumptio*, pro ea stat possessio, iuxta dicta supra *n.* 85. Quinimo perperam agit qui habens iustum conjecturam quod aliquam partem dixerit, eam nihilominus recitat; quia viam scrupulis aperit. *Ita communiter.*

In praxi, *praesumptio* saepe tollit dubitationem. Unde, aiunt, excusatur a recitando qui non meminit se dixisse aliquid, sed recordatur se psalmum, lectio-  
nem, vel horam incepisse, et postea distractus ad eiusdem finem devenit non reminiscens an totum recitaverit. Idque valere dicunt, etiamsi rationem probabilem habeat omissionis; quia *praesumptio* quod soleat inceptum perficere efficit ut ad nihil teneatur, nisi moraliter certus sit se non dixisse. Similiter, dubitans utrum aliquam Horam intermedium dixerit necne, prudenter potest credere se non omisisse, si non solet Horam posteriorem dicere, nisi post priorem. (*n.* 150. 175. *res.* 1.)

**QUAER.** 4<sup>o</sup> *Quasnam poenas incurrat Beneficiarius, qui divinum Officium omittit.*

*Resp.* Si, nullo legitimo detentus impedimento, obligationi recitandi horas canonicas non satisfecerit, fructus pro rata omissionis non facit suos, eosque fabricae ecclesiae aut Seminario dioecesano tradat vel in pauperes eroget. (*can.* 1475. § 2.)

Dicitur *pro rata*, quod quidem ex iure antiquo (cfr. *can.* 6. 2<sup>o</sup>) secundum Const. *Ex proximo* Pii V 20 Sept. 1571 ita explicari debet: qui una die totum Officium omiserit, tenetur fructus omnes illi diei respondentes restituere; qui autem omiserit Matutinum cum Laudibus, medianam partem fructuum unius diei; medianamque pariter, qui reliquas Horas omiserit; qui vero unam ex illis, sextam partem fructuum. Idem dicendum si quis per plures leves omissiones inter Officium diei ad gravem materiam pertingat. Praefata restitutio debetur ante omnem sententiam. (*can.* 2232.)

Probabile porro est, Beneficiarios qui alia onera habent quam Officium, v. g. Parochus, Episcopus, eam tantum partem fructuum restituere debere, quae respondet oneri Officii omissi. Quare dicunt DD. Episcopum vel Parochum ad quartam partem solum teneri, Canonicum ad dimidiam; Beneficiarios autem simplices ad omnes fructus. (*Lib.* 3. *n.* 673.)

Denique, restitutio facienda est fabricae Beneficii sive ecclesiae, vel pauperibus. (*can.* 1475. § 2.) Nomine pauperum sunt etiam defuncti. Qua de re notanda est prop. 33. damnata ab Alexandro VII: «Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas *antea* beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerat.» Si quis tamen *post* omissionem Officii dederit eleemosynas, immemor vel forte ignarus obligationis restituendi, probabiliter potest eas computare in solutionem huiusc obligacionis, ut dicunt Sanch. Suar. Lugo. Salm. Croix, etc. (*Lib.* 3. *n.* 663-673. 700. *Exam.* *Ord.* *n.* 61-63.)

*Articulus III.***Modus recitandi divinum Officium.**

Recitandum est: 1º iuxta formam praescriptam, 2º in Choro vel privatim, 3º secundum ordinem Officii, 4º legitimo tempore, 5º cum debita pronuntiatione, 6º attente ac devote. Quas singulas circumstantias sequentibus §§ expendemus.

**§ I. - FORMA PRAESCRIPTA OFFICII.**

**1109.** — *Principia.* I. *Omnes divino Officio adstricti tenentur illud recitare secundum formam et ritum Breviarii ROMANI, iussu S. Pii V die 9 Iulii 1568 editi aliorumque Pontificum cura recogniti, Pii X vero auctoritate reformati (C. Divino afflatu. 1 Nov. 1911; Motu proprio Abhinc duos annos. 23 Oct. 1913), sub poena non satisfaciendi.*

Quoad *Psalterium* tamen vi Motu Proprio Pii XII 24 Martii 1945<sup>10)</sup> omnes sive in publica sive in privata recitatione pro libitu uti possunt nova versione iuxta editionem publicatam et approbatam Deecr. S. C. Rit. 29 Iunii 1945.

*Excipiuntur illae Ecclesiae vel Religiones, quae alio Breviario et Missali utebantur approbato per consuetudinem ducentis annis antiquorem; dummodo tamen in posterum correctiones aut mutationes in Breviario et Missali suo non faciant, sine Apostolicae Sedis facultate, neque iis nova Officia propria auctoritate addant, atque insuper celebrent Officia deinceps universalis Ecclesiae sub praecepto ab Apostolica Sede concessa. Ita ex Constit. Pii V. *Quod a nobis.* 9 Iulii 1586, et pluribus Declarationibus S. R. C. atque ex ean. 135: « Clerici, in maioribus ordinibus constituti... tenentur obligatione quotidie horas canonicas integre recitandi secundum proprios et probatos liturgicos libros. »*

II. *Utentes Breviario Romano non tenentur amplius ad Officium B. M. V. in Sabbato, Officium defunctorum, Psalms poenitentiales et graduales.* Constat ex Bulla Pii X *Divino afflatu. tit. 8. n. 2.* Tenentur tamen ad Litanias in festo S. Marci et triduo Rogationum; ex praeescriptione Rubricarum et ex universalis consuetudine Ecclesiae. (n. 143. *Not. 4.* et n. 160.)

Recitatio Litaniarum obligat *sub gravi*, uti constat ex eo quod materia Litaniarum sine dubio est gravis. Accedit universalis consuetudo, quae est optima legum interpres. Ita quoque S. R. C. declaravit 12 Mart. 1836 ad 8. n. 2740. (n. 161. *Exam. n. 72.*)

**1110.** — *Quaeritur, an obliget Calendarium proprium Dioeceseos vel Ordinis.* *Resp. Affirm.*, si a S. R. C. approbatum est; quia, quamvis Officia illa propria, Calendario Romano addita, privilegii rationem habeant, simul tamen vim legis obtinent. Quin etiam Officia particularia, modo *permissivo* concessa Dioecesi vel Ordini religioso, usu semel recepta, obligatoria evadunt, ut declaravit S. R. C. 6 Sept. 1738. n. 2338 et 24 Nov. 1883, ad 1. n. 3597.

<sup>10)</sup> A. A. S. 1945. p. 65.

§ II. - RECITATIO IN CHORO ET PRIVATA.

**111. — Principia.**— I. Quodlibet *Capitulum obligatione* tenetur *quotidie* divina Officia in choro *rite persolvendi*, *salvis fundationis legibus*. (can. 413. § 1.) In *religionibus sive virorum, sive mulierum, quibus est chori obligatio*, in singulis domibus ubi *quatuor* saltem sint religiosi choro obligati et actu legitime non impediti, et etiam pauciores, si ita ferant constitutiones, debet ad normam constitutionum *quotidie* divinum officium communiter persolvi. (can. 610. § 1.)

II. *Obligatio ista recitandi Officium in Choro* GRAVIS est genere ex suo; gravior tamen pro Canoniceis, propter eorum Beneficium, quam pro Religiosis. Ita ex sententia communi; cfr. etiam ex Iure antiquo Cap. I. *De celebrat. Clem.*

III. *Caeteri satisfaciunt divinum Officium PRIVATIM dicendo.* Neque tenentur caeremonias observare; quamquam laudabile sit situm praescritum servare, genuflectendo, stando, etc. Unde citra culpam possunt Horas recitare in quovis loco et in quovis situ decente. (n. 179.)

**1112. — Notanda.** 1º Nullus Religiosus aut Monialis *singulatim* tenetur sub gravi Horas recitare in *Choro*, modo Chorus non tollatur. Paucitas autem Religiosorum totam Communitatem excusat a Choro: quare, nisi saltem quatuor adsint expediti, vel etiam pauciores, si ita ferant Constitutiones, non est obligatio Chori. Dico *expediti*, nam infirmi, vel legitime occupati, e. g. cura infirmorum, auditione confessionum, aliisve charitatis officiis, quae commode dif-ferri nequeant, ad Chorum non obligantur. Obligatio autem *Communitatis* Officium recitandi in Choro probabiliter potest sufficienter impleri, si ad illud soli Novitii concurrant; quia isti in favorabilibus Religiosi reputantur.

2º Professi vel professae a votis temporariis in religionibus, ubi viget chori obligatio, divini Officii privatum recitandi lege non obstringuntur, nisi sint in sacris constituti aut aliud constitutiones expresse praescribant. (can. 578. 2º.)

In eisdem religionibus sive virorum sive mulierum sollemniter professi, qui a choro abfuerunt, debent, exceptis conversis, horas canonicas privatum recitare. (can. 610. § 3.)

3º Canonici tenentur *singuli* Choro assistere, sub culpa gravi, nisi ex levitate materiae aut ex iusta causa legitime excusentur. (can. 413. 414.) Unde, si Canonicus absit per tres vel quatuor dies ultra tempus a iure permissum, ob levitatem materiae non peccat graviter. Porro Codex in can. 418, permittit Canonicis per tres menses quolibet anno abesse. (*Lib. 3. n. 675. dub. 1.*)

4º In can. 420. § 1. quattuordecim enumerantur casus in quibus capitulares ita excusantur a choro ut percipiunt fructus praebendae ac distributiones quotidianas. Attamen ex § 2. eiusdem canonis, nisi obstet fundatorum expressa voluntas, distributiones quae *inter præsentes* dicuntur, ii tantum percipiunt, qui in § 1. sub n. 1. 7. 11 et 13 enumerantur, capitulares scil. iubilati ad normam can. 422. § 1; qui piis exercitiis vacant ad normam can. 126, semel tantum in anno; qui Episcopo sacra peragenti assistunt ad normam can. 412. § 1; qui operam

navant conficiendis processibus in causis de quibus in can. 1999 *seqq.*, vel uti testes in his causis vocati sunt, diebus et horis quibus hoc officium praestant. Tandem, excusatio sub 4º enumerata, (pro vicario paroeciali aliove e Capitulo sive parocho sive coadiutore ab Episcopo deputato, dum paroecialibus vacat officiis) non extenditur ad servitium paroeciae non capitularis. Ita C. C. Int. 19 Ian. 1940.<sup>1)</sup> Alias excusationes in quibus capitulares percipiunt praebendae fructus dumtaxat, vide in can. 421.

5º Episcopi invigilare tenentur ut Officium a Canonicis in Choro persolvatur, et rite psallatur. Ipsimet tamen ex munere suo non obligantur ad Chorum.

6º Praelati graviter peccant, si ex negligentia permittant ut partis notabilis recitatio omittatur in Choro; qualis est ea, quae gravis est in Officio privato. (n. 143. Lib. 3. n. 675.)

7º Chorus haberi debet in *ecclesia*. Attamen ex iusta causa licet aliquando Horas recitare in sacristia. (Lib. 3. n. 657 *init.*)

8º Clericis in sacris et monialibus aliisque piis mulieribus in communitate viventibus quae ex proprii Instituti Constitutionibus ad quotidianam divini Officii recitationem tenentur, concessa est *indulgentia plenaria*, suetis conditionibus, si integrum Officium, quamvis in partes distributum, *coram SS. Sacramento* sive publicae adorationi expositum, sive in tabernaculo adservato, recitaverint. <sup>2)</sup> Eadem indulgentia dein ad clericos omnes necnon ad novitios et studentes institutorum religiosorum quorumcumque extensa fuit. <sup>3)</sup>

### § III. - ORDO OFFICII.

**1113.** — Duplex est Ordo servandus, scilicet: 1º *Ordo Officiorum*, qui unicuique diei Officium suum assignat pro toto anno, secundum Calendarium festorum et regulas liturgicas in occursu plurium eodem die. Is ordo quotannis concinnari solet in proprio Directorio Dioecesis vel Ordinis. 2º *Ordo Horarum*, tam inter ipsas Horas, quam inter partes eiusdem Horae, ut eo ordine una post aliam recitetur, quo descriptae sunt in Breviario.

**1114. — Quaestiones. I. De ordine Officiorum. QUAER.** 1º *An sit peccatum mortale Officium diei mutare in aliud.*

*Resp. Dist.* Si fiat in aliud notabiliter brevius, certe est peccatum mortale, ut constat ex prop. 34. damnata ab Alexandro VII: «In die Palmarum recitans Officium paschale satisfacit praecepto.»

Si fiat in aliud fere aequale, duae praecipuae sunt sententiae. *Prima* contendit esse semper peccatum mortale, etsi semel fiat, sine iusta causa; quia est contra formam praescriptam a Pio V, quippe quae non solum recitationem generatim, sed speciatim recitationem *talis Officii* praecipiat; consequenter ille, qui aliud Officium recitat, non ponit substantiam praecepti particularis pro illo die.

*Secunda* communior, quae S. Alfonso aequior videtur, levitatem materia admittit, si nempe fiat raro, puta ter quaterve in anno; quia tunc non esset gravis perturbatio ordinis.

<sup>1)</sup> A. A. S. 1910. p. 62.

<sup>2)</sup> S. Poen. 23 Oct. 1930 et 5 Dec. 1930. A.A. S. 1930. p. 493; 1931. p. 23

<sup>3)</sup> S. Poen. 31 Mart. 1937. A. A. S. 1937. p. 284

Excusat autem iusta causa, v. g. si nunc non est copia debitae partis Breviarii, et postea quis nimium gravabitur recitando, vel impedietur a studio necessario, vel alio simili opere. Probabiliter etiam excusatur quis, si alibi moratur, et recitat Officium illius loci; dummodo tamen non sit Religiosus, qui tenetur Officium Breviarii Ordinis sui recitare. (*n. 161. qu. 3. Exam. Ord. n. 70.*)

Clericus, qui sponte vel invitatus se adiungit Clero, Officium ab Officio ipsius Clerici diversum canenti vel recitanti, generaliter non satisfacit, uti rescripsit S. C. R. 27 Ian. 1899. ad 3. *n. 4011. Generaliter*, i. e. sine alia iusta causa.

Praeterea «non est relinquendum Officium Breviarii pro Officio devotionis,» ut decrevit S. R. C. 13 Febr. 1666. *n. 1334.*

Denique Cappellanus, qui in ecclesia Monialium quotidie Missam celebrat, non potest Officium Monialium recitare, ut S. R. C. declaravit 21 Mart. 1795 ad 3. *n. 2550.*

QUAER. 2º *Quid agendum sit ei, qui ex inadvertentia recitavit unum Officium pro alio.*

*Resp. Dist.* 1º Si iam totum Officium recitavit, nihil repetere tenetur; quia merito praesumitur Ecclesia nolle uno die bis ad tantum onus obligare. Si tamen dictum fuerit Officium notabiliter brevius, puta officium trium Lectionum loco officii novem Lectionum, debet compensatio fieri recitando Lectiones omis- sas II et III nocturni (*n. 161. qu. 3.*)

Porro Officium omissum iuxta sententiam probabiliorem non debet alio die recitari loco Officii iam recitati, ne bis erretur et uniformitas laedatur; sed est eo anno omittendum. Confirmatur etiam ex resp. S. R. C. 17 Iunii 1763 (*n. 1774*), vi cuius nulla est obligatio aliquod officium inadvertenter omissum alio die adhuc recitandi. <sup>1)</sup> — Sententia tamen quae non videtur improbabilis tenet saltem ex epikeia officium omissum alio die recitari posse; videtur enim Ecclesia primarie velle ut *omnia* officia per annum recitentur; dein, ut recitentur diebus statutis. <sup>2)</sup>

2º Si vero iam magnam partem eiusdem, puta Matutinum, recitavit, cum errorem advertit, praestat reliquum de Officio debito recitare, ne errorem prosequatur; satisfit tamen prosequendo Officium indebitum. — Notetur insuper, quod si quis oblitus sit partem Horae, sufficit partem illam supplere quin aliud repetatur. (*n. 161. qu. 5.*)

QUAER. 3º *Si quis ad tempus extra patriam, sive dioecesim, aut proprium monasterium moratur, quodnam Officium illi recitandum sit.*

*Resp.* 1º Beneficiarius, etiam Regularis, tenetur ecclesiae suaे Officio. Caeteri vero se conformare possunt Officio loci, ubi morantur. Ita S. R. C. 12 Nov. 1831. ad 46. *n. 2682.* Unde, si hi caeteri per breve tempus alibi versantur, melius retinebunt Officium suum, ad impediendam aliquorum Officiorum omissionem vel repetitionem; sin autem ad longum tempus alibi morantur, illius loci Calendario melius se conformabunt.

2º Religiosus titulo canonico *Choro adstrictus* debet in itinere sequi ordinem Officii Conventus sui, ex quo discessit: cum vero moratur, etsi ad tempus, in Conventu sui Ordinis, tenetur in *Choro* huius ordinem Officii sequi; si vero

<sup>1)</sup> Auctor in ed. praece. unice hanc sententiam admisit. Cfr. et Marc. *n. 2211*; Gaudé. *tom. II. p. 195. nota X.*

<sup>2)</sup> Cfr. *N. K. S. 1911. p. 191.*

*privatum* recitat, servare debet Calendarium Coenobii, a quo discessit. Quod si ad longum tempus extra claustra sua degit, e. g. propter quadragesimalem prædicationem, Calendarium provinciae sua, neglecto proprio Coenobio, sequi debet. S. R. C. 31 Aug. 1839. ad 1 et 2. n. 2801. 25 Sept. 1852. n. 3001. et 18 Sept. 1877. ad 2. n. 3436, et 27 Iunii 1896. ad 13. n. 3919. — Caeteri Regulares se gerere possunt sicut Clerici saeculares non beneficiarii.

**1115.** — II. De ordine Horarum. Quaestio est: *Quantum peccatum sit mutatio in ordine Horarum.*

*Resp.* 1º In recitatione *privata* non excedit veniale; quia defectus non est in substantia praecepti, sed in quodam tantum accidente. Si fiat ex rationabili causa, nulla est culpa, v. g. si quis ab amico invitetur ad recitandum cum ipso; si Breviarium præ manu non habeat nec commode exspectare possit; si sero veniat ad Chorum, Officio iam incepito. (n. 170.) — Idem dicendum, si inchoetur Officium diei sequentis ante expletum Officium diei præcedentis. (Suar. *De relig. tr. 4. lib. 4. cap. 24. n. 3. Croix. lib. 4. n. 1315.*)

2º In recitatione *in Choro*, sententia probabilior, contra alios, censem etiam non esse grave; quia non constat circumstantiam ordinis cadere sub gravi præcepto. (n. 171. *Exam. Ordin. n. 74.*)

#### § IV. - TEMPUS HORARUM.

**1116.** — Principia. I. *Pro valida impletione præcepti, tempus legitimum, intra quod totum absolvitur Officium, est tempus totius diei a media nocte usque ad medium noctem:* ita tamen ut Matutinum et Laudes possint pridie, ab hora scilicet Vesperarum, anticipari; non tamen Litaniae pro festo S. Marci et diebus Rogationum, ut constat ex resp. S. R. C. 28 Mart. 1775. ad 4. (n. 2503.)

Hinc: 1º Qui totum Officium vel notabilem eius partem usque ad medium noctem non dixit, peccat mortaliter; nisi per naturalem oblivionem vel aliam legitimam causam excusatus fuerit; atvero amplius non tenetur ad Horas illius diei præteriti dicendas; quia iam tempus præcepti elapsum est.

2º Qui distulit Horas præsentis diei statuto tempore recitare, semper tenetur eas recitare usque ad medium noctem; quia toto illo tempore potest præceptum implere; ergo tenetur.

II. *Pro licita recitatione, tempora legitima pro singulis Horis vel ex iure vel ex consuetudine aestimanda sunt.*

Porro: 1º *In Choro*, si ius ipsum attendatur, Horae publice recitandæ sunt iis temporibus, quae nominibus suis satis designantur, videlicet Matutinum in media nocte, Laudes in initio auroræ (hodie Matutinum cum Laudibus ab aurora usque ad ortum solis); Prima orto iam sole; Tertia medio tempore matutino; Sexta in meridie; Nona medio pomeridiano; Vesperæ ante occasum solis; Completorium post solis occasum. Hodie vero tempora debita in unaquaque regione seu provincia iuxta receptam consuetudinem statuenda sunt.

2º In Officio *privato*, hodie ex consuetudine recepta Matutinum cum Laudibus recitari potest inde ab hora secunda pomeridiana diei antecedentis (S. R. C. 12 Maii 1905. ad 1. n. 4158.)<sup>1)</sup> vel tempore matutino diei proprii; Horae parvae a primo mane usque ad meridiem; Nona potest dici etiam post meridiem, imo, iuxta plures, etiam Sexta; Vesperae cum Completorio dici possunt a meridie usque ad medium noctem.

3º Quadragesimae tempore, tribus primis diebus et *Dominicis* exceptis, Vespere in *Choro* recitantur ante refectionem, ita quidem ut incipi possint sub horam undecimam antemeridianam, ut dicunt Salm. tr. 16. cap. 3. n. 15: *privatum* licite recitari possunt post refectionem; laudabiliter vero recitantur ante eam.

Hinc colligitur: a) In Officio *privato* tempus licitum Horarum sine rationabili causa anticipare vel postponere, est peccatum veniale; quia est contra ius et consuetudinem Ecclesiae, quamvis ea circumstantia levis sit. — Excusat autem quaeviis causa rationabilis, v. g. concio paranda vel audienda, periculum superventurae occupationis, maior devotionis, tempus aptius ad studendum, et similia; non vero sufficit sola maior commoditas, sine alio motivo honesto. (n. 173. 174. *Exam. Ordin.* n. 74.)

b) In *Choro* num sit peccatum grave, controvertitur. Sententia probabilior negat; quia huiusmodi circumstantia temporis non pertinet ad substantiam praecepti, sed est circumstantia accidentalis.

III. In SUPPUTANDIS HORIS DIEI standum est communis loci usui; sed in *privata* horarum canonicarum recitatione, licet alia sit usualis loci supputatio, potest quis sequi loci tempus aut locale sive verum sive medium, aut legale sive regionale sive aliud extraordinarium. (can. 33. § 1.)<sup>2)</sup>

**1117.** — Quaeritur, an praevidens impedimentum ad recitationem Officii in ipso die obligationis, teneatur Matutinum cum Laudibus pridie recitare.

*Resp.* Quamvis maxime deceat ut id faciat, valde probabiliter tamen non tenetur; quia tempus *obligationis* incipit a media nocte tantum. Quod Matutinum cum Laudibus possit pridie recitari, non est ex praecepto, sed ex indulgentia per consuetudinem introducta, qua nemo uti tenetur. (n. 155. *Exam. Ord.* n. 76.)

#### § V. - DEBITA PRONUNTIATIO.

Pronuntiatio debet esse *vocalis, integra, et continuata*.

##### 1. Pronuntiatio vocalis.

**1118.** — Necesse est ut divinum Officium voce sensibili proferatur, et hoc pertinet ad substantiam praecepti (n. 162); tum quia sic est ab Ecclesia institutum; tum quia est publica oratio Ecclesiae etiamsi privatim recitetur; unde cum Ecclesia sit corpus sensibile, voce sensibili exprimenda eius oratio est.

<sup>1)</sup> Cfr. N. K. S. 1912. p. 275.

<sup>2)</sup> Cfr. supra n. 169. qu. 3.

In Choro porro Officium alta voce proferendum est, ut expresse praecipsum est ab Ecclesia; ibi autem unusquisque tenetur partem unam recitando, alteram audiendo, totum Officium explere. Id ipsum faciendum est etiam, si quis cum socio recitat.

**1119. — Quaestiones. I. De recitatione privata.** QUAER. 1º *An solus Officium recitans debeat seipsum audire, ut satisfaciat.*

*Resp.* Probabiliter negatur; quia non iubetur auditio, sed pronuntiatio, ad quam non requiritur ulla vocis elatio, sed satis est vocem formare linguam et labia movendo, ex quo necessarie aliquis sonitus producitur; quod vero sonitus ille non audiatur, casu evenit. (n. 163.)

QUAER. 2º *Quomodo Officium recitandum sit cum uno vel pluribus sociis privatim.*

*Resp.* 1º Non licet in psalmis et hymnis recitandis plures quam duos choros facere alternatim recitando; quia sic habet usus Ecclesiae. In lectionibus autem, responsoriis, capitulis, orationibus, et antiphonis, satis est quod unus ea omnia dicat, aliis audientibus; quia in Choro satisfaciunt omnes praedicta audiendo; optimus tamen modus est, si antiphonae psalmorum, lectiones, et responsoria alternatim dicantur.

2º Quae leguntur ab uno, audiantur ab alio socio. Caeterum non interest an socius, quocum quis recitat, ad Officium obligatus sit necne; si modo distinete loquatur. (n. 162.)

**1120. — II. De recitatione in choro.** QUAER. 1º *An satisfaciant Choro, qui submisse recitant psalmos, alteram partem audiendo.*

*Resp. Dist.* Valde probabiliter satisfaciunt Officio: quia necesse non est ut omnium voces unius partis audiantur ab altera.

Non satisfaciunt vero servitio Chori: id enim exposcit ut obligati ad Chorum convenienter ad psallendum Officium. Quapropter Canonici, si non canunt vel psallunt, amittunt tam distributiones, quam fructus praebendae, ut constat ex Constit. Bened. XIV. *Cum semper oblatas.* 19 Aug. 1744. et Brevi *Dilecte filii.* 19 Ian. 1748. *Ita communiter.* (n. 163. Lib. 3. n. 675. dub. 3. et 4.)

QUAER. 2º *Si quis Officium recitat in Choro, vel cum socio, num teneatur repetere ea, quae non satis percepit.*

*Resp. Dist.* Si propter strepitum aliorum non audiat, omnes dicunt illum satisfacere.

Si vero propter culpam Chori, vel socii, sententia probabilis idem affirmat, si attendat quantum potest; qui enim est attentus, eo ipso se iungit ad partem illam ad quam attendit, et consequenter moraliter illi communicat: secus insuper semper esset anxietas. Id praesertim valet de eo, qui oculis animadvertisit in Breviario ea quae confuse audit, ita ut bene percipiat quae dicuntur. (n. 163. qu. 2.)

Praeterea, in Choro probabiliter non tenentur omissa supplere: 1º i, qui, dum alii cantant, parant aut transferunt libros, perquirunt psalmos, pulsant organa, vel alia Choro necessaria peragunt; quia, dum aliquis occupatur in rebus ad Officii celebrationem pertinentibus, totus Chorus pro eo supplet. Circa organum notandum est, eum Chorus canit psalmos alternatim cum organo, opus esse ut versus, qui per organum finguntur

cantari, alta voce ab aliquo proferantur in Choro; alioquin Officium non integre recitatur, cum organum verba non proferat.

Neque tenetur omissa supplere: 2º ille, qui, dum alii recitant, tussit vel exscreat, etiamsi integer psalmus interim dicatur; 3º is, qui in Choro perlegit lectionem, ne erret, alioquin erraturus; haec enim causa satis excusat ab illa levi omissione. (*n. 143. not. 3. 156. v. Ex hoc.*)

### *2. Pronuntiatio integra.*

**1121.** — Verba non proferantur mutilando vel corrumpendo illa, praescindendo verba dimidia, integra transiliendo, ut inquit S. Bernardus, ac denique tanta celeritate dicendo, ut attentio impediatur: haec omnia comminuunt integritatem orationis.

Hinc: 1º Mutilatio syllabarum voluntaria non excusatur a peccato mortali, si sensus verborum totaliter deperdatur, idque in magna quantitate. Quod etiamsi involuntarie acciderit, remanet obligatio supplendi pro parte sic truncata, recitando quantitatem aequivalentem.

2º Erit veniale et satis quoad substantiam impletur obligatio officii, ita ut non opus sit illud repetere, si verborum sensus non deperdatur sed aliqua significatio verborum servetur, vel si perdatur in parva quantitate. Nullum erit peccatum, si fiat involuntarie, ob inadvertentiam, ob balbutiem, vel ob inveteratam consuetudinem, quae difficulter vinci possit.

3º Non satisfaciunt illi, qui alternatim recitando ita festinant, ut, nondum expletis a socio versiculis, ipsi incipiunt, si nempe fiat in magna quantitate. Probabiliter tamen satisfacit, qui recitat cum socio obtruncante syllabas, si sensus notabiliter non corrumpatur: quinimo non exoritur obligatio repetendi, nisi constet socium notabilem partem omisisse; quia praesumptio stat pro debita recitatione. Non videtur tamen a veniali excusari, qui ulro recitat cum socio mutilante: secus, si adest aliqua causa, puta si invitatur a Superiore, vel a persona valde honorabili, aut alia similis. (*n. 164. 165.*)

### *3. Pronuntiatio continuata.*

**1122.** — Ea postulat ut eadem Hora non fiat interruptio per aliquam temporis moram. Inter diversas Horas interruptio semper fieri potest.

Interruptio eadem Hora, si notabilis est, et sine rationabili causa, peccatum veniale erit; quia unitas uniuscuiusque Horae pertinet ad formam praescriptam in Horis recitandis; praeterea indecorum est sermonem cum Deo interrumpere propter inutilia.

Oportet autem ut interruptio nonnihil notabilis sit: quia, si brevissima est, pro nihilo putatur. (*n. 166.*)

Causa autem iusta interrumpendi Officium est quaelibet utilitas propria vel aliena, quae sine incommmodo differri nequeat, v. g. si fiat ex urbanitate, vel ut quis exsequatur mandata Superioris; ut Confessionem alicuius excipiat qui non libenter exspectaret; ut aliquid agat aut notet ad tollendam distractionem sive sollicitudinem ne obliviscatur, modo id non fiat frequenter. Licet quoque

orationem aliquam iaculariam ad Deum vel pium affectum intermisere, moderate tamen. (n. 158.)

Ex causa proportionata etiam licitum fieri potest incipere recitationem aliquius horae cum praevisione eiusdem interruptionis, ut si confessarius in confessionali recitet partem Horae, poenitentem exspectando. Cfr. Noldin. n. 770.

**1123. Quaestiones.** QUAER. 1º *Si interruptio magna facta est in aliqua Hora aut in aliquo psalmo, an repetenda sit tota Hora aut totus psalmus.*

*Resp.* Probabilis et communius negatur; quia singuli psalmi et singuli versus completum habent sensum, et satis uniuntur per intentionem postea continuandi. Unde, qui hodie incepit Matutinum, potest illud completere in crastino, idque, licet distulerit sine causa, peccatum grave non erit. (n. 168.)

QUAER. 2º *An liceat Laudes a Matutino separare.*

*Resp. Affirm.*, ex communi sententia; quia est recepta consuetudo, et secundum primaevam institutionem dividebantur. (n. 167.)

Quando ea separatio fit, Matutinum semper concludendum est Oratione Officii, deinde per v. *Dominus vobiscum*, v. *Benedicamus Domino*, et v. *Fidelium animae etc.* et *Pater*.

Laudes postea inchoantur per v. *Deus in adiutorium etc.*, praemisso *Pater* et *Ave*. Ita ex Ordinario divini Officii in Breviario.

QUAER. 3º *An possint Nocturna aliud ab alio separari.*

*Resp.* Negant aliqui, nisi ex iusta causa; quia hodie non est consuetudo Nocturna pro solo arbitrio separandi. Affirmant vero probabiliter plures, saltem si quodlibet Nocturnum non distet ab alio ultra tres horas; quia antiquitus dicebantur divisim in tribus vigiliis noctis, interiectis aliquot horis, uti affirmat D. Thomas. (n. 167.)

#### § VI. - ATTENTIO ET DEVOTIO.

**1124.** — Praescribit Conc. Lateran. IV. cap. 17 ut Clerici «divinum Officium, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter et devote.» Devotio alia est *externa*, quae in reverenti corporis compositione consistit; alia *interna*, quae sita est in pio mentis ad Deum affectu. Ad devotionem pertinet *intentio* orandi et laudandi Deum, et *attentio* mentis ad id quod agitur.

Attentio quoque potest externa esse et interna. *Externa* habetur, quando non ponitur actio externa insociabilis cum attentione interna, ut esset e. g. auscultatio aliorum loquentium. Inter actiones sociabiles cum attentione interna hae numerantur: ambulare, se lavare, sedate se vestire, colligere flores aut herbas, instruere focum, sternere lectum, respicere campum, etc., psalmos et lectiones perquirere, et aliae huiusmodi, quae magnam animi attentionem non requirunt.

Attentio *interna* iuxta D. Thomam<sup>1)</sup> triplex est: 1º *ad verba*, ut recte et integre proferantur, ne quis in eis erret; 2º *ad sensum verborum*, ut percipiatur; 3º *ad Deum*, et ad rem quae oratur, quae quidem est caeteris perfectior. Singula ex hisce sufficit. (n. 176.)

<sup>1)</sup> 2. 2. qu. 83. a. 13.

1125. — Ad satisfaciendum praecepto ecclesiastico, certe requiruntur: 1º *Intentio seu voluntas orandi*: alioquin enim recitatio Officii non esset oratio, sed mera lectio; oratio autem est opus praeceptum. Sufficit porro haec voluntas in actu exercito, quae semper adest. 2º *Attentio externa*, ita ut, qui voluntarie et in materia notabili exterius se distrahit, non satisfaciat. Eadem haec practice sufficiunt ut quis praecepto satisfaciat, iuxta dicenda infra num. sequ.

Notandum est, voluntariam *distractionem internam*, qua quis cum Deo loquitur ore, et aliud meditatur mente, semper esse peccatum veniale irreverentiae. Ad hanc rationem generalem, quae pro omni oratione valet, accedit specialis consideratio, quod in officio divino recitando agitur de oratione liturgica quam minister nomine Christi et Ecclesiae Deo offert, quaeque praesertim componitur precibus et carminibus quae Spiritus Sancti afflato conscripta sunt; huic autem excelsae dignitati intenta animi pietas respondeat oportet.<sup>1)</sup> Ad peccatum irreverentiae sufficit tum *voluntarium imperfectum*, ex imperfecta advertentia vel ex negligentia in distractionibus repellendis, tum *voluntarium in causa*, v. g. ex curiositate circumspiciendo, sine ulla necessitate Officium dicendo in loco distractioni exposito, ut in foro, platea, etc. ubi hominum frequentia est. Si quis somno vexetur, sed adeo resistat ut bene pronuntiet, et in Choro distinete quoque alteram partem audiat, satisficit; privatim tamen recitans non excusat a veniali, si possit recitationem in tempus opportunius differre. (n. 176.)

1126. — Quaestiones. QUAER. 1º *An attentio interna sit necessaria ad implendum praeceptum ecclesiasticum divini Officii.*

Resp. Controv. 1ª Sententia olim communior est probabilior affirmat; quia attentio interna est de substantia orationis vocalis; nam oratio generaliter sumpta est elevatio mentis ad Deum, et hanc elevationem essentialiter includit, etiam ut est *petitio facta ad Deum*; sed qui verba sine ulla attentione profert, corde haud ascendit ad Deum; ergo revera non orat.

Sufficit porro attentio *virtualis*, qua quis nempe ad orationem accedit *cum proposito* attendendi, et in illo proposito saltem virtualiter perseverat, non retractando illud, neque formaliter, neque virtualiter per voluntariam negligentiam. Unde tum solum desinit haec virtualis attentio, cum quis plene advertit se distrahi, et deliberate negligit distractionem repellere. Quamobrem cum imperfecta advertentia et negligentia, quamvis venialiter peccet, substantialiter tamen satisficit Officio. Ita communiter huius sententiae fautores.

2ª Sententia hodie omnino praevalens, negat, docetque attentionem externam sufficere, vitando omnia externa quae attentionem internam impediunt. Rationes sunt, quia: 1º Divinum Officium est oratio *publica et socialis* Ecclesiae, quam minister eius nomine perficit. Ad hoc tamen ut Ecclesia Deum oratione sua colere dicatur, sufficit ut eius verba et vota sensibiliter per modum cultus exprimantur; devotio interna ad ordinem socialem directe non pertinet.<sup>2)</sup> (Cfr. etiam supra n. 142 q. 3 et 409.) 2º Si attentio interna de essentia orationis esset,

<sup>1)</sup> Pius XII. Encycl. *Mediator Dei*. 20 Nov. 1947. (A. A. S. 1947. p. 574).

<sup>2)</sup> Notetur hoc argumentum valere tantum de oratione *publica*, non de privata vocali quam antiquiores saepius in eadem quaestione comprehendere videntur.

distractio etiam involuntaria eam destrueret, cum essentia a voluntate non dependeat; certum autem est apud omnes, involuntariam distractionem praecepsi impletionem minime impedire. Neque iuvat attentio *virtualis*, quippe quae, cum attentio sit actus intellectus, plane non intelligatur, siquidem attendendi voluntas non est attentio. 3º Similiter Extrema Unctio, cuius forma deprecatoria est, sine attentione interna invalida foret; falsum autem est consequens, cum ex Decreto Eugenii IV ad valorem Sacramenti tria tantum requirantur, nempe materia, forma, seu verba prolati a ministro, et intentio ipsius faciendi quod facit Ecclesia.

QUAER. 2º *Quaenam sint media opportunitiora ad animi distractiones repellendas.*

*Resp.* Recensentur haec: 1º Vitare causas distractionum, puta subducendo se ab hominum strepitu, oculos et aures sedulo custodiendo; 2º sub initio recitationis formare intentionem laudandi Deum; 3º renovare intentionem in fine psalmorum, ad *Gloria Patri*; 4º Dei praesentiam memoria custodire, et alia huiusmodi. (*n. 177. in fine.*)

#### *Articulus IV.*

#### **Causae excusantes ab Officio divino.**

Sunt: 1º impotentia, 2º iustum impedimentum, 3º dispensatio.

##### **§ I . - IMPOTENTIA.**

1127. — Ad hanc primam causam pertinent: I. *Carentia Breviarii*. Contingere potest v. g. si in itinere amittitur, aut iter aggrediens illud ex obliuione domi reliquit, nec aliud habere potest. Peccat vero, qui scienter privando se Breviario, consensit in secuturam impotentiam recitandi.

Quocirca observanda sunt: 1º Prop. 54. damnata ab Innoc. XI: « Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquias Horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem. » Unde, qui caret Breviario, et memoria tenet vel in promptu habet notabilem Officii partem, quae nempe ad quantitatem saltem parvae Horae pertinet, tenetur sub gravi eam recitare. Contra, qui non potest tantum recitare, quantum est parva Hora, ad nihil tenetur; quia eiusmodi modica pars seorsim sumpta ad finem lege intentum haud quidquam conductit. — Idem de Clerico *caeo* dicendum est.

3º Si talis habeat Officium commune, non proprium illius diei, tenetur ex Communi Horas recitare; quia duplex est praecepsum Officii, unum universale de Officio persolvendo, alterum de recitando Officio cuiusque diei; unde qui non potest servare unum, tenetur ad alterum. (*n. 157. 158. Exam. Ordin. n. 76.*)

1128. — II. *Infirmitas*. Hac ratione excusantur: 1º Aegrotantes, non modo gravi morbo, sed tali quoque ut Officium recitare nequeant sine gravi incommodi periculo, v. g. si prudenter timeant notabilem capitum gravedinem, cruditatem stomachi, virium lassitudinem, vel si credant febrim tardius remissum iri. Idque probabiliter admittitur, etiamsi infirmus per magnam diei partem aliquem librum amoenum legeret ad animum solandum;

quia ex eo quod valeat librum delectabilem legere, non sequitur quod possit et teneatur Officium recitare, utpote ad quod maior attentio requiritur, quae maiorem afferat difficultatem. (n. 154. Not. 1.)

2º Convalescentes ex gravi morbo, excusantur nempe per aliquot dies, ad arbitrium prudentis, donec vires reficiantur. Et hoc admittendum, etiamsi Missam celebrarent. (n. 154. Not. 2.)

Notandum porro, quod si infirmus dubitat num infirmitas sufficiat ad excusandum, cumprimis stare potest iudicio Superioris, qui in dubio etiam dispensare potest; vel iudicio probabili viri prudentis; quin et proprio iudicio. Dummodo enim adsit periculum nocimenti, certe excusatur; quia ius naturale valedudinis conservandae praevelet Ecclesiae. (n. 154. Not. 3.)

Deinde, si infirmus certus est se non posse totum Officium recitare, dubitet vero num partem possit, probabiliter ad nihil tenetur; quia valde difficile est in huiusmodi occasionibus discernere quid possit vel non possit sine gravi incommodo, et ideo, ad removendos serupulos, qui quidem ipsi iam magnum incommodum afferunt, rationabiliter excusatur a toto Officio. (n. 154. Not. 4.)

3º Scrupuloso, si graves anxieties patiatur, potest aliquando etiam interdici Officium recitatio, donec videatur recitare posse sine tanto incommodo; nam magnum incommodum per se excusat a praeceptis Ecclesiae (n. 177. in fine.)

**1129. — Quaeritur demum:** *An socium adhibere teneatur ille, qui nequit recitare solus.*

*Resp. Affirm.*, si quem ad manum habeat sine magno incommodo; quia praeceptum, quod mediis ordinariis impleri potest, impleri debet; associatio autem medium est ordinarium. *Ita communiter.* (n. 158.)

### § II. - IUSTUM IMPEDIMENTUM.

**1130. — Hoc nomine intelligitur** occurrens occupatio totius diei, quae necessaria est ex officio vel ex charitate, ita ut sine scandalo, aut magno detimento proprio vel alieno nec omitti nec differri queat, et liberum tempus non relinquit ad dicendum Officium. Quodsi eiusmodi occupatio non sit integri diei, sed magnae partis eius, et recitatio Officii sine magna difficultate anticipari vel postponi queat, obligatio erit anticipandi vel postponendi; quia praeceptum urget toto die.

Hac ratione excusari possunt: 1º Concionatores, si concessionem omittere nequeant sine scandalo populi aut propria infamia, nec tamen eam praeparandi tempus suppeteret, si recitandum esset Officium. 2º Confessarii, qui per totum diem Confessiones excipiunt, quas differre non possunt, uti contingere potest e. g. tempore Missionis. 3º Qui toto die occupantur in sedandis iurgiis, aut assistendis infirmis, v. g. tempore epidemiae. 4º Si quis sub noctem Officium, v. g. Vesperas, recitaturus, advocetur ad moribundum, nec postea tempus aut commoditas supersit. Et alii casus similes. (n. 156.)

Notandum porro est quod si quis praevideat se postridie impeditum iri a Matutini et Laudum recitatione, anticipatio pridie valde probabiliter non obligat;

quia est quoddam privilegium consuetudine introductum, quo nemo uti tenetur. (n. 155.)

### § III. - DISPENSATIO.

**1131.** — 1º Summus Pontifex potest in divino Officio dispensare etiam cum beneficiario; quia tota obligatio divini Officii est de iure ecclesiastico.

2º Episcopus dispensare non potest, nisi difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni. (can. 81); insuper in dubio de morali impotentia et quidem cum aliquo in particulari ad breve tempus. Ita saltem ex usu aut privilegio immemorabili. (n. 159.)

3º Idipsum, quod Episcopi, possunt Superiores Religiosi maiores exempti respectu subditorum suorum in Sacris. (can. 81. 198.) At virtute privilegiorum ampliorem ipsi habent potestatem, quocirca unaquaeque Religio uti potest privilegiis suis. Cum non constitutis in Sacris possunt Praelati Regulares dispensare ex iusta causa, puta studiorum, et simili, sicut in aliis observantiis. Ita DD. concedunt communiter. (n. 142.)

## CAPUT V.

### NONNULLA CLERICIS PROHIBITA

Vitanda a Clericis plura sunt, vel quia statum eorum dedecent, vel quia periculum virtuti creant, vel aliis scandalum generare possunt, vel etiam quia haec omnia continent.

Huiusmodi sunt: 1º ludi profani, 2º venatio, 3º ingressus cauponarum. 4º officia saecularia, 5º negotiatio, 6º cohabitatio cum mulieribus suspectis: de quibus in sequentibus acturi sumus.

#### *Articulus I.*

##### L u d i p r o f a n i .

S. Alf. lib. 3.

**1132.** — Clericis vetitum est interesse spectaculis, choreis et pompis, quae eos dedecent, vel quibus clericos interesse scandalo est, praesertim in publicis theatris. (can. 140. Cfr. etiam *Acta Ap. Sedis*. 1916. p. 147; 1918. p. 17 et 300.)

Vetitum quoque Clericis est vacare ludis *alearum* cum pacto pecuniae, in quo ludo nimirum sola fortuna intervenit. (can. 138.)

Hinc: 1º Graviter peccant Clerici aleis ludendo, si ludant vel a) cum gravi scandalo; quod in publico aleatore lucri causa ludente aderit; vel b) frequenter

et diu, licet in modicam pecuniam; vel *c*) in magnam pecuniae summam, licet raro; saltem cum adesset grave scandalum. (*n.* 896-898. *H. A. n.* 219.)

Non peccant graviter, si *raro, moderate*, et *privatum* sine scandalo aleis ludant.

2º Prohibitio aleis ludendi non comprehendit ludos chartarum, aliosque, qui non sunt merae fortunae, sed dependent tam ab industria quam a fortuna; nisi alicubi esset specialis prohibitio aut scandalum. Hi namque iudi nullo canone clericis vetantur, et propterea consuetudine omnino permitti possunt. (*n.* 900.)

3º Quod ad *Religiosos* attinet, illi, propter eorum statum, et scandalum aliorum, facilius quam Clerici saeculares possunt graviter peccare, si *aleis* ludunt, eoque magis quo arctiorem observantiam profitentur, praesertim si viam talibus ludis in Ordine suo aperirent, aut in notabilem pecuniae summam luderent; in quo posteriori casu insuper contra paupertatem peccarent. (*n.* 901. *Lib. 5. n. 32.*)

Ubi regula ludum non specialiter vetat, et consuetudo viget ludendi ludis non merae sortis, semper absint oportet scandalum saecularium, temporis iactura, et periculum relaxandi disciplinam regularem; secus peccatum erit, praesertim si fiat cum pecuniae expositione, quod Religiosos semper dedecet, ait S. Alfonsus.

### *Articulus II.*

#### **Venatio.**

1133. — Duplex distinguitur venatio: altera *clamorosa*, quae fit cum magno tumultu et strepitu armorum et canum, ad occidentas feras maiores; altera *quieta*, quae fit sine strepitu, nempe cum laqueis retibusque, aut etiam selopeto, ad capiendas volueres, ferasque minores, ut lepores, cuniculos, vulpes, etc.

De venatione autem in Iure dicitur: venationi ne indulgeant, clamorosam autem nunquam exerceant. (can. 138.) Dicitur *Ne indulgeant*; unde quieta venatio non videtur prohibita, si moderate tantum et absque scandalo aliquando exercetur. Dubitari potest, num sit peccatum mortale venationem clamorosam raro tantum exercere. Negavit suo tempore S. Alfonsus (*Lib. 3. n. 606. H. A. tr. 10. n. 72.*)

Observetur etiam ius particulare, qua de re cfr. v. g. *Conc. Prov. Ultraj.* anno 1924. p. 23.

Haec de *venatione* dicta sunt, quae et *aucupium* comprehendit. *Piscatio* nullo canone interdicitur; fortasse quia ab Apostolis etiam post conversionem exercita est.

### *Articulus III.*

#### **Ingressus tabernarum.**

1134 — Gravitas ac temperantia Clericorum propria non sinit eos in tabernas seu cauponas edendi vel bibendi causa ingredi. Quamobrem in Iure dicitur: tabernas aliaque similia loca sine necessitate aut alia iusta causa ab Ordinario loci probata ne ingrediantur. (can. 138.)

*Articulus IV.***Officia saecularia.**

**1135.** — «Nemo militans Deo, inquit Apostolus, implicat se negotiis saecularibus.» (II Tim. II. 3.) Hinc: 1º Ea etiam, quae licet non indecora, a clericali tamen statu *aliena* sunt, vitent. (can. 139. § 1.)

2º Sine apostolico indulto *medicinam* vel *chirurgiam* ne exerceant; *tabelliones* seu publicos notarios, nisi in Curia ecclesiastica, ne agant; officia publica, quae exercitium *laicalis iurisdictionis* vel *administrationis* secum ferunt, ne assumant. (can. 139. § 2. Cfr. et can. 985. 6º.)

3º Sine licentia sui Ordinarii ne ineant *gestiones bonorum* ad laicos pertinentium aut officia saecularia quae secum ferant onus reddendarum rationum; *procuratoris* aut *advocati* munus ne exerceant, nisi in tribunali ecclesiastico, aut in civili quando agitur de causa propria aut suae ecclesiae; in *laicali iudicio criminali*, gravem personalem poenam prosequente, nullam partem habeant, ne testimonium quidem sine necessitate ferentes. (can. 139. § 3. Cfr. etiam can. 1657. § 3; 987. 3º et *Acta Ap. Sedis*. 1918. p. 344.)

4º Senatorum aut oratorum legibus ferendis, quos *deputatos* vocant, munus ne sollicitent neve acceptent sine licentia Sanctae Sedis, in locis ubi pontifícia prohibitio intercesserit; idem ne attentent aliis in locis sine licentia tum sui Ordinarii, tum Ordinarii loci in quo electio facienda est. (can. 139. § 4.)

*Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi*, si vi constitutionis civitatis sint de iure *senatores*, et Sancta Sedes aliquo modo id probaverit, sine speciali licentia Sanctae Sedis huiusmodi munus explere possunt, dummodo per Vicarium Generalem aliove modo suis obligationibus satisfaciant. In quolibet alio casu *Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi* sive *residentiales*, sive *titulares* indigent *venia Sanctae Sedis*. Ita resolvit Comm. Cod. Int. die 25 Aprilis 1922. ad 1º. (A. A. S. p. 313.) Ordinarii autem locorum in concedenda licentia *sacerdotibus* qui se candidatos ad deputatorum comitia sistere cupiunt, potius difficiles quam faciles se praebere debent. Ita eadem Comm. Cod. Int. l. c. ad 2.

5º A *fideiubendo*, etiam de bonis propriis, clericus prohibetur, inconsulto loci Ordinario. (can. 137.)

6º Ulterius ipsis vetatur *arma gestare*, nisi quando iusta timendi causa subsit. (can. 138.) Saecularem militiam ne capessant voluntarii, nisi cum sui Ordinarii licentia, ut citius liberi evadant, id fecerint; neve intestinis bellis et ordinis publici perturbationibus opem quoquo modo ferant. (can. 141. § 1.) Clericus minor, qui contra hoc praescriptum sponte sua militiae nomen dederit, ipso iure e statu clericali decidit (can. 141. § 2.); atque quaelibet eius officia ipso facto et sine ulla declaratione vacant. (can. 188. 6º.)

7º Postremo, vetantur Clericis omnibus quaelibet *viles et sordidae artes*, quae statum eorum omnino dedecent. (can. 138. Lib. 4. n. 189. H. A. tr. 13. n. 60.)

### *Articulus V.*

#### *Negotiatio.*

S. Alf. lib. 3. H. A. tr. 10.

1136. — **Notio.** *Negotiatio proprie dicta seu lucrativa dicitur*, quando quaestus faciendi causa res emuntur eo consilio ut non mutatae vendantur carius. Si res arte transformantur, e. g. si ex lana conficitur pannus, ex uvis vinum, ex polenta cervisia, *artificium vel industria erit*. Artificium, si solius quaestus causa exercetur, ad negotiationem proxime accedit.

A negotiatione lucrativa distingui debet negotiatio *oeconomica*, quae consistit in iis emendis, quae necessaria sunt, aut quae superflua sunt vendendis atque insuper in suis praediis ac gregibus curandis aut locandis.

1137. — **Principia.** I. *Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem* (can. 142.) Clerici vel religiosi, qui secus agunt, congruis poenis pro gravitate culpæ ab Ordinario coérceantur. (can. 2380.)

Antiquam interdictionem negotiandi *per seipso* Bened. XIV Constit. *Apostolicae servitutis*. 25 Febr. 1741. n. 1. ampliavit et extendit ad negotiationem sub alieno laici nomine, seu per interpositam laici personam quomodolibet exercitam. Item can. 142. (n. 832. 833.)

Prohibitio haec — ita omnes — *generatim loquendo* ligat sub peccato mortali.

Hinc: 1º certo peccat graviter, qui *frequenter* negotiatur, quamvis in quantitate non magna. Unde veniale tantum erit, si aliquoties dumtaxat contingat in parva vel semel in magna quantitate; quia iura loquuntur de *exercente*. (n. 831. H. A. n. 192.)

2º Ab omni peccato excusat necessitas certe extrema, sed probabilius etiam gravis ad statum decentem, nempe si aliter Clericus cum familia sua commode sustentari nequeat. Ratio est, tum quia lex ecclesiastica non obligat cum gravi incommodo, tum quia prohibitio, cum facta sit ob decentiam status, non censetur prohibere id quod necessarium est ad decentem statum servandum. (n. 837.)

Verumtamen, in casu gravis necessitatis, ad omnem hallucinationem prae-  
cavendam, non licet Clerico negotiari sine licentia Ordinarii, si est extra Italianam,  
Sedis autem Apostolicae intra Italianam. Ita ex Constit. Clementis XIII *Cum  
primum*. 17 Sept. 1759. sub 10º; quae Constitutio ex can. 6. n. 2. adhuc vigere  
videtur. (n. 833.) <sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Cfr. Coll. de Prop. Fide. n. 423. Maroto. *Inst. Iuris can.* n. 572. qu. 2º.

II. *Negotiatio oeconomica Clericis non est interdicta;* e contra debent et ipsi, uti omnes alii, debitam curam habere de bonis propriis, uti recta rei familiaris administratio hoc exigit. Pari modo *artificium honestum* non est Clericis neque Religiosis vettitum, dummodo illud per seipso exerceant: non licet vero, si per operarios conductos res immutent. Ratio prioris est, quia tunc non nisi praemium sui laboris accipiunt, quod nullo iure prohibetur, et si fiat absque neglectu proprii ministerii, nihil inordinati continet, ut patet exemplo S. Pauli, idque, licet artefacta vendant cum lucro ad sustentationem vel ad piam causam destinato. Ratio posterioris est, quia secundum communem doctorum interpretationem aequiparatur in Iure negotiationi, cum ematur alienus labor et inde lucrum capiatur. (n. 836.)

**1138. — Resolutiones.** 1º Sub nomine negotiationis prohibetur etiam *cam-bium activum*, ut decrevit Clemens XIII in Constit. cit. Hoc nomine intelligitur mutatio pecuniae cum pecunia, lucri causa facta et quidem per modum artis, faciendo argentarium.

2º Quando negotia laicorum ad Clericos devolvuntur, sive iure haereditario sive quocumque alio titulo, statim sunt dimittenda, etiamsi coniunctim cum aliis bonis, aut alieno nomine per cohaeredes ipsius vel socios laicos negotium exerceantur. Quodsi dimitti nequeant sine gravi detimento, permittitur continuatio ad breve tempus, per interpositam laici personam, ac de licentia Ordinarii extra Italiam, S. C. Concilii intra Italiam. Ita ex Constit. Benedicti XIV *Ap-o-stolicae servitutis*. 25 Febr. 1741. (n. 832.)

3º Licet Clerico ea, quae prius emerat ad proprium usum, postea autem ad-vertit sibi non esse necessaria vel cum occasio se offert vendendi carius, vendere maiori pretio; quia talia ad oeconomiam pertinent. (n. 836.)

4º Non licet Clericis: a) conducere fundos et praedia, ut per operarios colant, fructusque vendant, vel ut animalia saginent, saginataque vendant. b) Emere fundos et praedia, aut animalia, eo consilio ut vendant cum lucro. (n. 834. 835.)

5º Licet vero illis: a) praedia sua et animalia locare pro pensione. b) Agros suos colere opera laicorum, fructusque vendere. c) Emere animalia, eaque sa-ginare pabulo ex propriis fundis proveniente; imo probabiliter etiam pabulo eum ad finem empto, ut saginata cum lucro vendant, vel ut ex foetibus, lacte, lana, lucrum faciant. d) Praedia emere ad saginandum propria animalia, ut postea vendantur. (n. 835. *Istruz. cap. 10. n. 194.*)

**1139. — Quaestiones.** QUAER. 1º *An liceat Clericis et Religiosis emere census annuos in aerario publico fundatos, et OBLIGATIONES societatum mercatoriarum vel industrialium.*

*Resp. Affirm.*, quia emendo tales census aut obligationes nihil aliud faciunt, nisi pecuniam suam mutuam dant aliis et iustum inde percipiunt fenus.

QUAER. 2º *An liceat iisdem emere ACTIONES societatum mercatoriarum et industrialium.*

*Resp.* Haec quaestio multum agitata est hoc tempore. Porro, secundum recentiores decisiones non sunt inquietandi qui actiones acquirunt, dummodo

parati sint stare mandatis Sedis Apostolicae, et nullam in societatibus *administrationis partem* suscipiant, neque actionum earundem *negotiationem exerceant* et praesertim abstineant ab omni contractu, qui speciem habeat speculationis bursae, ut dicitur. Ita S. Offic. 17 Nov. 1875. 15 April. 1885. (*Revue théol.* 1893. pag. 608 *seqq.*)<sup>1)</sup> Insuper licet Clericis eas (uti et obligationes) emere et carius vendere non tantum una alterave vice, sed saepius prout opportunitas fert, dummodo in iis non excedant limites negotiationis oeconomiae, secundum prudens timoratorum iudicium.

NOTA. Cfr. novam excommunicationem *tom. II, n. 1055bis.*

### *Articulus VI.*

#### **Cohabitatio cum mulieribus suspectis.**

**1140.** — Vitae et honestati Clericorum vix aliunde turpior inuritur nota, quam ex nimia familiaritate et cohabitatione cum mulieribus tantum suspectis; hinc enim vel lapsus carnalis, quo nihil turpius in Clerico, vel saltem lapsus suspicio facile oritur, et, quod consequitur, ingens vilipensio atque contemptus; sicut e contrario maxime venerabiles reddit Clericos continentiae professio et studium omnem impuritatis suspicionem sedulo declinans. Iamvero, hac de re Codex sic statuit:

I. Caveant clerici ne mulieres, de quibus suspicio esse possit, apud se retineant aut quoquo modo frequentent. (can. 133. § 1.)

II. Eisdem licet cum illis tantum mulieribus cohabitare in quibus naturale foedus nihil mali permittit suspicari, quales sunt mater, soror, amita et huiusmodi, aut a quibus spectata morum honestas cum provectione aetate coniuncta, omnem amoveat suspicionem. (can. 133. § 2.)

III. Iudicium an retinere vel frequentare mulieres etiam illas in quas communiter suspicio non cadit, in peculiari aliquo casu scandalio esse possit aut incontinentiae afferre periculum, ad Ordinarium loci pertinet, cuius est clericos ab hac retentione vel frequentatione prohibere. (can. 133. § 3.)

IV. Contumaces praesumuntur concubinarii. (can. 133. § 4.) Hi autem monitione inutiliter praemissa, cogantur ab illicito contubernio recedere et scandalum reparare suspensione a divinis, privatione fructuum officii, beneficii, dignitatis, servato ordine praescripto in can. 2176-2181. (can. 2359. § 1.)

NOTA. Consuetudo vitae communis inter clericos laudanda ac suadenda est, eaque, ubi viget, quantum fieri potest servanda. (can. 134.)

<sup>1)</sup> De speculationibus bursae cfr. supra n. 978. — Doctrina ab Auctore in textu proposita communissime admittitur, quatenus agitur de iis societatibus industrialibus in quibus non sit immutatio rerum emptarum per famulos conductos: — Societatum dico fodinarum, ferroviarum similiisque; quia nullo sensu negotiatio prohibita habetur, sed clericus id tantum facit cum sociis qui condominium habent, quod posset facere solus, si unicus esset dominus. v. g. fodinae carbonum. Disputatur vero de liceitate emptionis et retentionis actionum earum societatum quae emunt res eo fine ut carius vendantur, nulla mutatione adhibita aut immutatione ex labore conducto adhibita; quia in ea casu conditiones negotiationis prohibitas adsunt. Cfr. Wernz-Vidal. II. n. 128. Notes responsa S. Sedis diserte loqui tantum de actionibus viarum ferrearum *similiumque* societatum aut arcarum publicae utilitati inservientium, neenon de actionibus mensae nummulariae. Practice doctrina auctoris solet admitti.

## Pars Secunda.

## De officiis Parochorum

S. Alph. lib. 4. H. A. tr. 7.

Parochi multis oneribus devinciuntur, quae tamen ad sex capita reduci possunt suntque: 1º residentia, 2º Missa pro populo, 3º ministratio Sacramentorum, 4º praedicatio verbi Dei, et doctrina christiana, 5º correptio, 6º quaedam aliae obligationes.<sup>1)</sup>

## CAPUT I.

## RESIDENTIA

**1141.** — Residentia Beneficiariorum definitur: Commoratio assidua in loco Beneficii, eo fine ut illi personaliter deserviat Beneficiarius.

Unde bipartitur: *materialis* dicitur ipsa personalis praesentia; *formalis*, seu *utilis*, quae debitorum officiorum exercitium adiunctum habet. (n. 120.)

**1142.** — **Obligatio residentiae.** Parochi tenentur residere formaliter in Ecclesiis suis, nisi iusta causa ab Episcopo approbata excuset. Ita ex can. 465. Cfr. etiam Conc. Trid. sess. 6. cap. I. ref. et sess. 23. cap. 1. ref.

Dictum est: 1º *Parochi*; iamvero, parochorum nomine in iure veniunt: 1º sacerdotes quibus paroecia collata est in titulum cum cura animarum sub Ordinarii loci auctoritate exercenda; 2º quasi-parochi qui quasi-paroecias regunt seu partes distinctas vicariatus apostolici ac praefecture apostolicae quibus peculiaris rector fuerit assignatus; 3º *vicarii paroeciales*, si plena potestate paroeciali sint praediti (can. 451; 471 sequ.);<sup>2)</sup> 4º parochi *personales* de quibus in can. 216. § 4.

2º *Tenantur* idque iure divino ut tradit communis sententia, et ostenditur ex Trid. Concilium enim obligationem residendi probat ex S. Scriptura, et declarat aliter munus pastorale debito modo obiri, uti S. Scriptura praecipit et res ipsa postulat, non posse. Verumtamen hanc doctrinam Concilium expresse non definivit. (n. 121.)

3º *Residere formaliter*: non enim residentiae legem implet parochus, qui quidem personaliter est praesens in parochia, pleraque tamen munia pastoralia peragit per alios, v. g. per Cooperatores, ipse vero paucos exercet actus officii

<sup>1)</sup> Pro Hollandia cfr. Mulder, *Parochie en Parochiegeestelijkhed*. Pro Italia: Stochiero, *Pratica pastorale*.

<sup>2)</sup> Quinam sint tales, cfr. infra tom. II. n. 831. qu. 2.

parochialis. Satisfacit tamen, si cooperatori relinquat munera magis ardua, ut nocte ad infirmos ire, peragere divina officia in ecclesiis filialibus distantibus et huiusmodi: dummodo simul ipsemet parochus, secluso iusto impedimento, complura etiam munia pastoralia, praesertim principaliora, nempe administrationem verbi divini, Sacramentorum, etc., personaliter praestare non intermitat; et quando nominatim vocatur a parochianis, ad ipsos, maxime infirmos, ire non recuset. (*n. 127. dub. 3.*) Debet — ita can. 467. § 1. — parochus officia divina celebrare, administrare Sacra menta fidelibus, quoties legitime petant, suas oves cognoscere et errantes prudenter corrigere, pauperes ac miseros paterna charitate complecti, maximam curam adhibere in catholica puerorum institutione. Cfr. etiam can. 468. § 1.

4º *In Ecclesia sua:* etenim parochus obligatione tenetur residendi in domo paroeciali prope suam ecclesiam; loci tamen Ordinarius potest iusta de causa permittere, ut alibi commoretur, dummodo domus ab ecclesia paroeciali non ita distet ut paroecialium perfunctio munerum aliquid inde detrimenti capiat. (can. 465. § 1.)

5º *Nisi iusta causa excuset,* de qua continuo disseremus.

**1143. — Legitima absentia.** Parocho abesse permittitur per duos ad summum intra annum menses sive continuos sive intermissos, nisi *gravis* causa, iudicio ipsius Ordinarii, vel diuturnorem absentiam requirat vel breviorem tantum permittat. (can. 465. § 2.)

Dies, quibus parochus pliis exercitiis vacat (cfr. can. 126.) non computantur, semel in anno, in duobus vacationum mensibus. (can. 465. § 3.)

Sive continuum, sive intermissum sit vacationum tempus, cum absentia ultra hebdomadam est duratura, parochus, praeter *legitimam* causam, habere debet Ordinarii scriptam *licentiam* et *vicarium substitutum* sui loco relinquere ab eodem Ordinario probandum; quod si parochus sit religiosus, indiget praeterea consensu Superioris et substitutus tum ab Ordinario tum a Superiore probari debet. (can. 465. § 4.)

Unde: 1º requiritur *RUSTA CAUSA*; qualis non putatur animi levitas, oblectationum cupiditas, aliaeque fuitiles causae, prout declarat Benedictus XIV Constit. *Ad universae. 3 Sept. 1746.*

Ut autem ultra bimestre abesse possit requiritur *gravis* causa. Huiusmodi quatuor numerantur a Trid Sess. 23. cap. 1. ref. scil. christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens Ecclesiae aut Reipublicae utilitas.

a) *Christiana charitas*, puta ad componendas inimicitias, praesertim personarum potentium, vel ad opitulandum alii Ecclesiae, si qua indiget eius praedicatione ut a gravibus flagitiis liberetur: dummodo fiat sine notabili detimento propriae Ecclesiae.

b) *Urgens necessitas*, ut si ad morbum curandum necesse sit aërem mutare, vel balnea adire; si morbus immineat ex insalubritate loci certo anni tempore; si mortem vel grave damnum sibi peculiariter timeat ab inimicis; dummodo absentia non debeat esse nimis diuturna, nee graviter ovibus noxia; alioquin aut residendum est aut cura abdicanda.

Haud vero licet parocho abesse *tempore periculi communis*, ut tempore epidemiae, belli; turpe enim est atque contra iustitiam quod Pastor oves suas in necessitatibus

deserat, in quibus maxime indigent ope pastoris: idque valet, etiamsi periculum propriae vitae immineat; quia hoc est bonum inferioris ordinis comparatione spiritualis vitae gregis. Propterea ait Christus apud Joan. x. 11: « Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. » Sic quoque pluries declaravit S. C. C. approbante Gregorio XIII. (*Lib. 3. n. 360. dub. 3. Lib. 6. n. 233.*) De tempore persecutionis recole dicta *n. 314.*

c) *Debita obedientia*, ut si Episcopus Parochum alio avocet ad certum negotium pro bono Ecclesiae vel Reipublicae, vel ob quamcumque causam gravem, modo ad breve tempus; nam ad longum tempus requiritur absoluta boni communis necessitas.

d) *Evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas*, puta ut assistat Concilio; ut seipsum, aut gregem suum, aut iura Ecclesiae sua defendat in gravi negotio; ut negotium pro tranquillitate totius Regni expediat; modo alias desit qui huiusmodi negotia aequa bene defendat vel expediat. (*n. 125.*)

2º Requiritur LICENTIA EPISCOPI. Cum absentia ultra hebdomadam est duratura — ita can. 465. § 4. — parochus praeter legitimam causam, habere debet Ordinarii scriptam licentiam. Cfr. etiam Trid. l. c. Num porro scriptura requiratur ad valorem in foro interno, ita ut licentia ore tenus concessa non valeret ambigitur; sed probabiliter negatur.

Non requiritur autem licentia; a) si parochus repentina et gravi de causa discedere atque ultra hebdomadam cogatur abesse; tunc enim quamprimum per litteras Ordinarium commonefaciat, ei indicans causam discessus et sacerdotem supplentem, eiusque stet mandatis. (can. 465. § 5.)

b) si discedat ad modicum tempus, h. e. non ultra hebdomadam. (can. 465. § 4 et 6.)

3º Requiritur VICARIUS SUBSTITUTUS. Parochus ultra hebdomadam abesse non potest, quin Vicarium idoneum sibi substituat, qui sit approbatus ab Ordinario atque, si parochus sit religiosus, etiam a Superiore religioso. (can. 465. § 4) Imo etiam pro tempore brevioris absentiae parochus debet fidelium necessitatibus providere, maxime si id peculiaria rerum adiuncta postulent. (can. 465. § 6.)

**1144. — Poenae non residentium.** Parochi illegitime absentes pro rata temporis absentiae fructus suos non faciunt. Etenim qui officium, beneficium aut dignitatem obtinet cum onere residentiae, si illegitime absit, eo ipso privatur omnibus fructibus sui beneficii vel officii pro rata illegitima absentiae, eosque tradere debet Ordinario, qui ecclesiae vel alicuius loco vel pauperibus distribuat. Quin imo si non obstante monitione Episcopi parochus residentiae legem non observat, beneficio vel officio suo privari potest. Cfr. can. 2381. 2º et can. 2168-2175 et 2337.

Praefata poena incurrit etiam ab inutiliter residentibus, si nempe per bimestre munia praecipua non exerceant; tum quia beneficium datur, non ob corporalem residentiam, sed propter officium; tum quia Trident. iam expresse poposcerat residentiam utilem; tum quia Bened. XIV Constit. *Grave.* 15 Aug. 1741. declarat residentiam non esse veram, nisi sit formalis.

Consequenter Pastor non residens probabiliter non tenetur restituere *omnes* fructus tempori absentiae respondentes, sed tantum eam partem, quae residentiae oneribus respondet; quia fructus non solum dantur pastoribus pro oneribus residentiae, sed etiam pro Horis canonicas, Missa, etc. Recole dicta *n. 1108. qu. 4.* (*n. 127.*)

**CAPUT II.**  
**MISSA PRO POPULO**

**1145. — I. Natura obligationis.** Iure DIVINO tenentur pastores animarum sub gravi subinde pro ovibus suis Sacrificium offerre, seu illius fructum speciale applicare populo sibi commisso. Ita Trid. sess. 23. cap. 1. ref. Quoties autem id praestare debeant; determinavit Ecclesia, prout sequitur. (*Lib. 6. n. 324. qu. 2.* Cfr. etiam Marc. n. 1605.)

Quum sit obligatio iuris divini, etiam Pastores animarum ex ritu orientali ea tenentur. Attamen determinatio de frequentia obligationis Codice stabilita ad eos non spectat. Quapropter donec Codex pro Orientalibus publicatus fuerit atque vigere cooperit, leges vel consuetudines hucusque alicubi in vigore observandae sunt; quae si desint, Codex latinus tamquam norma adhiberi potest, cum temperamentis forsitan necessariis S. Sede audita. Ita S. C. de Prop. Fide 23 Martii 1863; 8 Nov. 1882. <sup>1)</sup>

**II. Subiectum obligationis.** Pastores animarum, quos haec obligatio gravat, sunt — praeter Episcopos et Administratores apostolicos permanenter constitutos, Vicarios ac Praefectos Apostolicos, Abbates *nullius* necnon Vicarios capitulares, de quibus omnibus hic nobis non est sermo <sup>2)</sup> — 1<sup>o</sup> *parochus proprius dictus* seu sacerdos cui paroecia collata est in titulum cum cura animarum sub Ordinarii loci auctoritate exercenda; 2<sup>o</sup> *quasi-parochus*, pro partibus Vicariatus vel Praefecture Apostolicae constitutus; 3<sup>o</sup> *vicarius curatus* qui locum tenet personae moralis cui paroecia collata est in titulum; 4<sup>o</sup> *oeconomus* paroecia vacante. <sup>3)</sup> — Qua in re notandum est non requiri formale decretum erectionis paroeciae ut obligatio Missae pro populo oriatur. <sup>4)</sup>

**III. Frequentia obligationis in paroeciis propriis dictis.** Parochi (et idem dicendum de vicariis curatis et oeconomis) post captam paroeciae possessionem, omni exiguitatis reddituum excusatione aut alia quavis exceptione remota, Missam pro populo sibi commisso debent applicare *omnibus dominicis aliisque festis diebus de praecocepto etiam suppressis*. Cfr. can. 466. § 1.

Hinc applicare debent, praeterquam omnibus dominicis, omnibus diebus festis, qui recensentur in catalogo dierum festorum, quem edidit Urbanus VIII in Const. *Universa per orbem* 13 Sept. 1642; id est: Natalis Do-

<sup>1)</sup> Collect. n. 1238 et 1578.

<sup>2)</sup> Cfr. can. 339. § 1. 315. § 1. 306. 323. § 1. 440. Infra n. 1164.

<sup>3)</sup> Cfr. can. 473. Si parochus habet vicarium *adiutorem*, etsi in omnibus supplementem parochum, nihilominus Missae applicatio pro populo parochum gravat. Cfr. can. 475. § 2.

<sup>4)</sup> S. C. Conc. 5 Martii 1932. A. A. S. p. 436.

mini, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis cum duobus diebus subsequentibus, Ascensionis, Pentecostes cum duobus diebus subsequentibus, Trinitatis, Corporis Domini, Inventionis S. Crucis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis Beatae Virginis (quibus adde festum Immac. Conceptionis, a Clemente XI praeceptum per Constit. *Commissi nobis*. 6 Dec. 1708), Dedicationis S. Michaëlis, Natalis S. Joannis Baptistae, SS. Apostolorum omnium, S. Stephani, SS. Innocentium, S. Laurentii, S. Silvestri, S. Joseph, S. Annae, Omnium Sanctorum, atque festum unius ex principalioribus patronis in quocumque regno, sive provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos patronos haberi et venerari contigerit. Cfr. Decis. *Commiss. ad Codicis Canones interpretandos* 17 Febr. 1918. ad II. (A. A. S. 1918. p. 170.) Cfr. etiam S. C. Conc. die 28 Dec. 1919. (A. A. S. 1920. p. 42.)<sup>1)</sup> — Si alicubi ex Sanctae Sedis concessione festum particulare de pracepto celebretur, in hoc quoque adest obligatio Missae pro populo. Sequitur ex can. 466. § 1. Cfr. Cocchi, i. h. c.<sup>2)</sup>

**IV. Frequentia obligationis in quasi-paroeciis.** Quasi-parochi Missae sacrificium pro populis sibi commissis applicare debent saltem in solennitatibus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Beatae Mariae Virginis, Sancti Joseph eius Sponsi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et omnium Sanctorum. (can. 466. § 1. et can. 306.)<sup>3)</sup>

**1146. — Notanda.** 1º Circa celebrantem. Tenetur parochus Missam pro populo diebus supra indicatis per se ipse applicare; si ab eius celebrazione legitime impediatur, statis diebus applicet per alium; si neque id praestare possit, quamprimum vel per se ipse vel per alium applicet alia die. (can. 339. § 4.)

Legitimum porro impedimentum est: 1º infirmitas; 2º obligatio celebrandi Missam Conventualem, quando parochus est simul canonicus; 3º alia causa, quae prudenti iudicio vere gravis aestimetur.

Sacerdos, qui vice parochi Missam applicat pro populo, ius habet ad *stipendium* pro illa recipiendum: quia nulla ratione tenetur gratis celebrare; parochus vero tenetur suis sumptibus curare ut Missa pro populo celebretur.

<sup>1)</sup> In catalogo festorum in citato decreto publicato brevius quam in Const. Urbana in fine legitur: « Dies S. Patroni regni: dies S. Patroni loci. » In causa Blesensi (12 Nov. 1927) legitur: « Patroni regni seu status et Patroni sive dioecesis sive civitatis vel oppidi seu loci. » Idem tamen intenditur. Notes, agi de patrono loci, non de patrono titulari *Ecclesiae*. Patronus autem loci a tempore decreti Urbani VIII. 23 Martii 1630 eligi debet Cleri populique sufragiis, de consensu Episcopi et cum S. Rituum Congregationis approbatione. Cfr. Aertnys-Dankelman, *Comp. Lit. n.* 184.

<sup>2)</sup> Disputatur de obligatione in diebus festis olim ex iure particulari de pracepto sed nunc vi Codicis suppressis. Sunt qui negant quia in festorum suppressorum catalogo S. C. Conc. 28 Dec. 1919. non memoriuntur. Obstat responsum particulare apud *Il Mon. Eccl.* 1920. p. 72. atque resp. S. C. C. 19 Iulii 1930. A. A. S. 1930. p. 521.

<sup>3)</sup> Idem valet etiam si alicubi in terris Missionum hierarchia constituta sit. S. C. de Prop. Fide. 9 Dec. 1920. A. A. S. 1921. p. 17-18.

Vicariis autem seu oeconomis, qui, vacante ecclesia paroeciali, ad curam animarum deputantur. potest Episcopus congruam portionem ex fructibus paroeciae assignare pro onere celebrandi pro populo diebus dominicis et festis. Cfr. can. 472. et 473; ita etiam Benedictus XIV Constit. *Cum semper.* § 9. et 10. (*Lib. 6. n. 325.*)

**2º Circa diem.** In festo Nativitatis Domini, et si quod festum de praecerto in diem dominicam incidat, satis est ut Missam unam pro populo applicent. (can. 466. § 1 et can. 399. § 2.)

Si festum ita transferatur ut in die *ad quem* non solum fiat officium cum Missa festi translati, sed serventur quoque obligationes audiendi Missam et abstinendi a servilibus, Missa pro populo applicanda est in die *ad quem*: secus in die *a quo*. (can. 339. § 3.)

De caetero non licet applicationem Missae pro populo *transferre* in alium diem, ne ad celebrandam quidem Missam pro defuncto, praesente cadavere. Ita S. C. C. 26 Ian. 1771. Ratio est, quia praeponendum est bonum commune totius gregis bono particulari cuiusdam ovis. Excipe tamen casum verae necessitatibus.

Itaque, in casu Exsequiarum, vel Missa Exsequialis alii Sacerdoti committi debet, vel transferenda est.

Attamen Ordinarius loci iusta de causa permittere potest ut parochus Missam pro populo alia die applicet ab ea qua iure adstringitur. (can. 466. § 3.) Cfr. Cappello. *de Sacramentis.* I. n. 652.

**3º Circa locum.** Parochus Missam pro populo applicandam celebret in ecclesia paroeciali, nisi rerum adiuncta Missam alibi celebrandam exigant aut suadeant. (can. 466. § 4.)

Legitime absens parochus potest Missam pro populo applicare vel ipse per se in loco in quo degit, vel per sacerdotem qui eius vices gerat in paroecia. (can. 466. § 5.)

**4º Circa Missam ipsam.** Obligationi Missam celebrandi pro populo satisfacit Parochus per *Missam privatam*; nuspianum vel Missa solemnis, aut cantata, vel aliqua certa hora iure communi praecepta est. Constat insuper ex S. R. C. 27 Febr. 1847. ad 4. n. 2939. et 22 Iulii 1848. n. 2967

Parochus, qui *plures* forte *paroecias* aequo principaliter unitas regat aut, praeter propriam paroeciam, *aliam* vel *alias* in *administrationem* habeat, unam tantum debet Missam pro populis sibi commissis diebus praescriptis applicare. (can. 466. § 2.) Idem dicendum de vicario oecono mo qui plures paroecias tempore vacationis regit. Ita Comm. Cod. Int. 14 Iulii 1922 ad VI. (A. A. S. p. 528.)

— Atvero, si agitur de festo *Patroni* loci parochus qui, praeter paroeciam propriam, alteram aut plures alias in administrationem habeat, tenetur Missam applicare pro populo non tantum in die festo Patroni suae paroeciae, verum etiam in festis Patronorum alterius vel ceterarum paroeciarum, nisi Patroni eodem die recolendi occurrant vel quia idem sit Patronus, vel quia Patronorum festum ex legibus liturgicis eadem die celebretur. Ita S. C. Conc. 12 Nov. 1927. (A. A. S. 1928. p. 84.)

5º Circa obligationem. Consuetudo *praescribere* non valet contra hactenus explicatam Parochorum obligationem celebrandi pro populo; expresse siquidem tradit Benedictus XIV in Constit. *Cum semper*. § 5. teneri ad id Parochos «consuetudine etiam antiqua seu immemoriali non obstante»; eiusmodi namque consuetudo esset in detrimentum gregis, proinde irrationabilis. Inde etiam in Codice legitur legem obligare omni exiguitatis redditum excusatione aut alia quavis exceptione remota. (Cfr. can. 466. § 1. coll. 339. § 1.)

## CAPUT III.

## SACRAMENTORUM ADMINISTRATIO

1147. — Debet parochus iuxta can. 476. § 1, administrare Sacra menta fidelibus, quoties legitime petant; insuper sedula cura et effusa charitate debet aegrotos in sua paroecia, maxime vero morti proximos, adiuvare, eos sollicite Sacramentis reficiendo eorumque animas Deo commendando. (can. 468. § 1.)<sup>1)</sup> — Hanc porro obligationem administrandi Sacra menta Conc. Trid.<sup>2)</sup> recenset inter officia ex *praecepto* divino manantia.

Parochi et alii Curati tenentur ipsimet Sacra menta ministrare: 1º quoties urget *praeceptum* illa suscipiendi; 2º in casibus gravis necessitatis; 3º quoties oves rationabiliter petunt; quia pastor non solum debet prospicere ut eius oves *praecepta* adimpleant, sed etiam ut iis auxiliis muniantur, quae eorum profectui multum conferre possunt. Cfr. infra *tom. II. n. 26.*

Quare peccat Pastor, qui morosum vel difficilem subditis se reddit, praesertim si ab infirmis acciatur, quos, ubi opus est, statim et qualibet hora adire debet. Verumtamen, extra casus necessitatis, excusatur a mortali, si semel vel iterum renueret: excusatur ab omni culpa: a) si intempestive aut nimis frequenter rogetur; b) si legitime impeditus sit; c) si alium Sacerdotem idoneum sibi substituat, puta Cooperatorem. (*Lib. 6. n. 58. II. A. n. 24.*)

E converso, tenentur Parochi Sacra menta denegare indignis, prout exponetur *tom. II. n. 19.*

Huic generali doctrinae particularia quaedam subiicienda sunt de non-nullis Sacra mentis seorsum.

1148. — I. De Baptismo. Ut hoc Sacra mentum opportune riteque administretur et suscipiatur, summa diligentia a Parochis adhibenda est.

<sup>1)</sup> Cfr. *N. K. S.* 1911. p. 265. Cfr. etiam *ibid. 1927. p. 294.* et 333, ubi apte colliguntur omnia ea quae parochus aut tamquam parochus *proprius* parochianis suis aut tamquam parochus *loci* peregrinis praestare possit vel debeat.

<sup>2)</sup> *Sess. 23. cap. 1. ref.*

Propterea, quantum in ipsis est, studiosissime invigilare debent ne quis infans ulla hominum culpa Baptismo privetur. Moneant eos, ad quos haec cura pertinet, ut recenter nati, quumprimum fieri potest, ad Ecclesiam deferantur baptizandi. (can. 770.)

Adultos baptizandos tenetur Parochus ante explorare, in fide instituere, et ad Sacramentum digne recipiendum praeparare, nisi mortis periculum properationem suadeat, quemadmodum praescribit Rituale Romanum *tit. 2. cap. 3.* Cfr. *infra tom. II. n. 55.*

Ad haec Parochis incumbit: 1º fideles docere quomodo in necessitate ipsimet baptizare valeant ac debeant; — 2º vigilare ut obstetriciam artem exerceentes Baptismi rite conferendi rationem optime calleant, ac de gravi obligatione edoceantur, qua obstringuntur, baptizandi infantem, cui periculum mortis immineat; (can. 743.) — 3º docere patrinos quam cognitionem contraxerint quamque obligationem erga filiolos; (can. 769.) — 4º in libro baptizatorum sine ulla mora describere horum nomina, nomina parentum et patrinorum necnon nomen ministri. (can. 777. § 1.) Insuper notetur ibi si baptizatus confirmationem receperit, matrimonium contraxerit, aut sacrum subdiaconatus ordinem suscepere, vel professionem sollemnem emiserit. (can. 470. § 2.) — 5º admonere matres et nutrices ne secum dormire faciant infantulos, nisi iusta causa, puta si infans sit implacabilis, et omne periculum casset, nempe si mater in somno quieta esse solet. Cfr. Rit. Rom. *tit. 2. cap. 2. n. 32.* (*Lib. 6. n. 177. 160. H. A. n. 45.*)

Praeterea debet Parochus, quantum fieri potest, docere omnes coniuges quomodo vitandus sit abortus, quid faciendum sit in casu abortus, quando et quomodo baptizandus foetus abortivus.

**1149. — II. De Poenitentia.** Parochi ad Confessiones excipiendas promptos ac faciles se praebere debent, diebus praesertim dominicis ac festis, necnon in sabbatis ac vigiliis festorum. Quin imo gravi iustitiae obligatione tenentur audiendi sive per se sive per alium confessiones fidelium sibi commissorum, quoties ii audiri rationabiliter petant. (can. 892. § 1.) Plurimi quoque refert, nisi Parochi alienorum peccatorum oviumque suarum damnationis reos se constituere velint, ut subinde arcessant Confessarios exterios, propter animas verecundas. (H. A. n. 24. can. 608. § 2.)

**1150. — III. De SS. Eucharistia.** Parochorum officium est: 1º Sedulo praeparare pueros ad primam Communionem, ut cum debita instructione debitisque dispositionibus eam recipient. Admittendi autem sunt pueri ad sacram Communionem, cum illius capaces sunt; et quidem in articulo mortis satis est ut sciant Corpus Christi a communi cibo discernere illudque reverenter adorare. (can. 854. § 2.) Extra mortis periculum plenior cognitio doctrinae christianaee et accurasier praeparatio merito exigitur; ea scilicet, qua ipsi fidei saltem mysteria necessaria necessitate medii ad sa-

ludem pro suo captu percipient, et devote pro sua aetatis modulo ad sanctissimam Eucharistiam accedant. (can. 854. § 3.) Cfr. infra tom. II. n. 136. — 2º Omnem adhibere sollicitudinem ne quisquam e suis parochianis praecepto Communionis paschalis morem gerere negligat. — 3º Vigilare ut opportuno tempore Viaticum aegrotantibus procuretur. (can. 865.) Perseverante periculo mortis iterari potest Viatici administratio, imo debet, quando aegroti cupiunt. (can. 864. § 3.) Cfr. tom. II. n. 139. — 4º Sollicitare fideles ut ad Sacramentum Eucharistiae frequenter, etiam quotidie accedant. Cfr. can. 863 et infra tom. II. n. 165. sequ. (Lib. 6. n. 301. 285. Prax. Conf. n. 202. H. A. n. 25. 26.)

**1151. — IV. De Extrema Unctione.** Curare oportet Parochos ne quis ex eis, qui ad sacram Unctionem recipiendam idonei sunt, ab hac vita migret sine huius Sacramenti praesidio. (can. 939.) Tenentur autem illud ministrare periculose aegrotantibus, cum in eis adhuc integra ratio viget. Capaces autem sunt huius Sacramenti etiam pueri aegroti, quando usus rationis gaudent, et amentes qui aliquando usum rationis habuerunt. Impoenitentibus vero, qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et excommunicatis, necnon personaliter interdictis denegetur. Cfr. can. 942. 2260. § 1. et 2275. Cfr. etiam infra tom. II. n. 542. 544. sequ. (Lib. 6. n. 714. 718-720. 732. H. A. n. 27.)

Opportune hoc loco quaestio instituitur: *Num tempore contagionis teneantur Parochi Sacraenta ministrare cum periculo vitae.*

*Resp.* 1º Quoad *Baptismum et Poenitentiam*, pluribus Decretis S. C. Conc. a. 1576, a Gregorio XIII approbatis, decisum est: «Parochum suis parochianis peste laborantibus omnino teneri ministrare duo Sacraenta ad salutem necessaria, nempe Baptismum et Poenitentiam. Posse autem ea ministrare vel per se vel per alium idoneum, ut Parochus possit audire Confessiones sanorum; quia alias eum reformidarent, si viderent ipsum accedere ad pestilentes. »<sup>1)</sup>

2º Quoad *Viaticum*, controversum est, et adest duplex probabilis sententia. Complures affirman; quia hoc Sacramentum moraliter necessarium est ad vincendas tunc temporis hostis tentationes, ac perseverandum in gratia. Excipiunt tamen: a) si inde alii aliqui infirmi sint sine Confessione morituri; b) si Parochus solus sit, nec alius adsit Sacerdos cuius ope iuvetur. — Alii negant quia hoc Sacramentum non est tam necessarium ut Parochus illius ministrandi causa vitam profundere teneatur. (Lib. 6. n. 233. Lib. 3. n. 389. in fine. H. A. tr. 7. n. 28.)

3º Quoad *Extremam Unctionem*, ex communi sententia non tenetur; nisi infirmus ob sensum destitutionem confiteri nequeat et verisimiliter censeatur esse in peccato mortali, puta quia a longo tempore non est confessus, tunc Parochus tenetur etiam cum periculo vitae eum Extrema Unctione munire. (Lib. 6. n. 729.)

<sup>1)</sup> Apud Fagnan. in lib. 3. Decre. cap. 17. de Cleric. non resid. n. 38 seqq.

**1152.** — **V. De Matrimonio.** Parochi: 1º incumbant ne sponsalia celebrentur clanculo, aut longo tempore ante matrimonium, neque nimia sponsorum consuetudo et familiaritas exsistat; propter animarum pericula, quae ex hisce oriri noscuntur. — 2º Avertere tenentur fideles ab illicitis matrimonis, puta, parentibus iuste dissentientibus, vel imprimis cum acatholicis. (can. 1064. 1071.) — 3º Debent inquirere an in doctrina christiana sufficienter instructi sint, nisi ob personarum qualitatem haec interrogatio inutilis appareat. Ita can. 1020. § 2. Cfr. *tom. II. n. 669; n. 672. qu. 2.* — 4º Debent diligenter inquirere in impedimenta, et si quod repererit, matrimonio non assistere, nisi dispensatione sublatum fuerit; dispensationem porro non nimis facile petant. Speciatim autem quoad vagos Parochis praecipit can. 1032 ne illorum matrimonis intersint, nisi, re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. — 5º Tenentur contracta matrimonia accurate describere in libro matrimoniorum, ex praescripto can. 1103; 470. § 1.

Ne omittat etiam Parochus secundum diversam personarum conditionem, sponsos docere sanctitatem sacramenti Matrimonii, mutuas coniugum obligationes et obligationes parentum erga prolem; eosdemque vehementer adhortetur ut ante matrimonii celebrationem sua peccata diligenter confiteantur et sanctissimam Eucharistiam pie percipient. Cfr. *tom. II. n. 688. sequ.* (can. 1033.)

Parochus insuper graviter filiosfamilias minores hortetur ne nuptias ineant, insciis aut rationabiliter invitis parentibus; quod si abnuerint, eorum matrimonio ne assistat, nisi consulto prius loci Ordinario. (can. 1034.)

Tandem, si qui sint coniuges propria auctoritate separati, Parochus debet illos serio monere ac redarguere, et a participatione etiam Sacramentorum arcere nisi aut mutuo reconcilientur, aut divortii licentiam ab Ecclesia obtineant. Omni tamen studio enitatur Parochus licentiae huius necessitatem impedire, coniuges ipsos aptis idoneisque commonitionibus mutuo amori restituendo.

#### CAPUT IV.

#### PRAEDICATIO ET DOCTRINA CHRISTIANA

**1153.** — **Praedicatio.** De hac docet Trid. sess. 23. cap. 1. ref.: « Praecepto divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas verbi divini praedicatione pascere. » Quare Codex plura etiam hac de re statuit.

I. Quoad ipsam *obligationem*. Diebus dominicis ceterisque per annum festis de praecepto proprium cuiusque parochi officium est, consueta ho-

milia, praesertim intra Missam in qua maior soleat esse populi frequentia, verbum Dei populo nuntiare. (can. 1344. § 1.) Parochus huic obligationi nequit per alium habitualiter satisfacere, nisi ob iustum causam ab Ordinario probatam. (Ibid. § 2.) Potest vero Ordinarius permittere ut sollemnioribus quibusdam festis aut etiam, ex iusta causa, aliquibus diebus dominicis concio omittatur. (Ibid. § 3.)

Quocirca observandum est, graviter peccare Parochum, qui sive per unum mensem continuum, sive per tres menses interruptos, nec per se nec per alias praedicat; eiusmodi enim omissio merito indicatur gravis. (*Lib. 3. n. 269.*)

Notetur etiam ex praescripto can. 1346. § 1. Ordinariorum esse curare, ut tempore Quadragesimae itemque, si id expedire visum fuerit, tempore Adventus, in ecclesiis cathedralibus et paroecialibus sacrae conciones frequentius ad fideles habeantur.

Insuper movendi et adhortandi diligenter fideles sunt ut sacris concionibus frequenter intersint. (can. 1348.)

Tandem optandum est, ut in Missis, quae, fidelibus adstantibus, diebus festis de praeecepto in omnibus ecclesiis vel oratoriis publicis celebrantur, brevis Evangelii aut alicuius partis doctrinae christianaee explanatio fiat; quod si loci Ordinarius id praeceperit, opportunis datis instructionib<sup>r</sup>, hac lege tenentur non solum sacerdotes e clero saeculari, sed etiam religiosi, exempti quoque in suis ipsorum ecclesiis. (can. 1345.)

II. Quoad materiam et modum praedicationis. In sacris concionibus exponenda in primis sunt quae fideles credere et facere ad salutem oportet. (can. 1347. § 1.)

Divini verbi praecones abstineant profanis aut abstrusis argumentis communem audientium captum excedentibus; et evangelicum ministerium non in persuasilibus humanae sapientiae verbis, non in profano inanis et ambitiosae eloquentiae apparatu et lenocinio, sed in ostensione spiritus et virtutis exerceant, non semetipsos, sed Christum crucifixum praedicantes. (can. 1347. § 2.)<sup>1)</sup>

**1154. — COROLLARIA.** 1º Expedit ut Parochus in concionibus populo saepesaepius inculcat frequentationem orationis et Sacramentorum; fugam proximarum occasionum peccati; fugam cauponarum, et turpiloquii; sacrilegii enoritatem; necessitatem doloris et propositi pro Confessione; media superandi tentationes internas, praecipue impuritatis; devotionem erga B. M. V. etc. Qua de re legatur H. A. n. 37-44. vel *Prax. Conf. n. 204-216.*

2º Fideles instanter doceantur de Sacrificii Missae natura, excellentia, finibus, effectibus, caeremoniis, deque gravi obligatione ei assistendi diebus Dominicis et festis; de eius vi impetratoria et propitiatoria, atque participatione Sacrificio per S. Communione; tandem de Sanctorum communione vi cuius

<sup>1)</sup> Legatur hic etiam Epist. encycl. Ben. XV. *Humani generis.* 15 Iunii 1917 una cum *Normis S. C. Consist.* 28 Iunii 1917, potissimum cap. III. (*A. A. S. 1917. p. 305. et seqq.; et p. 328. et seqq.*) Cfr. etiam litt. enc. super sacra praedicatione, data iussu Leonis XIII a S. C. Episc. et Regularium 31 Iulii 1894 ad Episc. Italiae et Praesules generales religiosorum (*A. S. Sedis. XXVII. p. 162.*)

Sacrificium Missae omnibus fidelibus tam vivis quam defunctis prodest. Ita ex Instr. S. C. Cone. 14 Iulii 1941, de fidelibus exhortandis ut Missae Sacrificio frequenter ac devote intersint.<sup>1)</sup>

3º Incumbit etiam Parocho, et est res magni momenti, populum docere sanctitatem et fines matrimonii; impedimenta quoque matrimonium dirimentia populo opportune explicare. Pluries etiam revocandum est populo in memoriam, teneri singulos manifestare, si quod horum impedimentorum in sponsis adesse noverint. Denique explanare saepe debet officia coniugum tum mutua inter se tum communia erga prolem.

4º Iuvat hic quasdam materias memorare, quas praedicare non licet, nimirum: determinatum tempus futurorum, ut Antichristi vel ultimi iudicii, atque vanas revelationes de hisce vel aliis; novas inspirationes vel revelationes, nisi a Papa vel Episcopo loci sint examinatae et approbatae: aut nova miracula, nisi sint ab Episcopo approbata. Ita iam monuerat suo tempore Con. Lat. V. Sess. 11. Const. 1; necnon Conc. Trid. Sess. 25. Deir. de invoc. Sanct. Vitium quoque esset, corripere aliquem expresso nomine. Cfr. idem Lat. V. Sess. 2. Const. 5.

**1155. — Instructio.** Proprium ac gravissimum officium pastorum praesertim animarum est catecheticam populi christiani institutionem curare. (can. 1329.)

I. Quoad instructionem puerorum: Debet parochus: 1º statis temporibus continentibus per plures dies institutione, pueros ad sacramenta poenitentiae et confirmationis rite suscipienda singulis annis praeparare. (can. 1330. 1º.)

2º Peculiari omnino studio, praesertim, si nihil obsit, Quadragesimae tempore, pueros sic instituere ut sancte Sancta primum de altari libent. (can. 1330. 2º.)

3º Non omittere pueros, qui primam communionem recenter receperint, uberius ac perfectius catechismo excolere. (can. 1331.)

II. Quoad instructionem adultorum: Diebus dominicis aliisque festis de pracepto, ea hora quae suo iudicio magis apta sit ad populi frequentiam, debet parochus catechismum fidelibus adultis sermone ad eorum captum accommodato explicare. (can. 1332.)

Graviter proinde peccat Parochus, qui nimium negligens fuerit in huiusmodi doctrina christiana edocenda, sive per se, sive per Cooperatores suos, sive tandem, in casu legitimi impedimenti, per aliam idoneam personam.

Curam itaque habeant Parochi ut parentes pueros suos ad doctrinam christianam mittant, similiter domini famulos suos ad instructiones (can. 1335.)

Operae quoque pretium est ut Parochus exploret magistros et magistras, si qui sint, ut rite instruant pueros et puellas circa doctrinam et media bene vivendi in sancto Dei timore. (H. A. n. 35. Prax. Conf. n. 196.) De hac materia fructuose legetur egregia Constit. Bened. XIV. *Etsi minime.* 7 Febr. 1742; atque observanda sunt mandata S. Congr. Concilii in suo decreto de catechetica institutione impensis curanda et provehenda,

<sup>1)</sup> A. S. 1941. p. 369.

12 Ian. 1935. A. A. S. p. 145. Cfr. etiam Enc. *Acerbo nimis*. 15 Aprilis 1905.  
N. K. S. p. 127.

**1156.** — NOTANDA. 1º Parochus in religiosa puerorum institutione potest, imo, si legitime sit impeditus, debet, operam adhibere clericorum, in paroeciae territorio degentium, aut etiam, si necesse sit, piorum laicorum, potissimum illorum qui in pium sodalitium *doctrinae christiana*e aliudve simile in paroecia erectum adscripti sint. (can. 1333. § 1.)

2º Presbyteri aliique clerici, nullo legitimo impedimento detenti, proprio parocho in hoc sanctissimo opere adiutores sunto, etiam sub poenis ab Ordinario infligendis. (can. 1333. § 2.)

3º Si Ordinarii loci iudicio, religiosorum auxilium ad catecheticam populi institutionem sit necessarium, Superiores religiosi, etiam exempti, ab eodem Ordinario requisiti, tenentur per se vel per suos subditos religiosos, sine tamen regularis disciplinae detrimento, illam populo tradere, praesertim in propriis ecclesiis. (can. 1334.)

4º Tandem Ordinarii loci est omnia in sua dioecesi edicere quae ad populum in christiana doctrina instituendum spectent; et etiam religiosi exempti, quoties non exemptos docent, eadem servare tenentur. (canon 1336.)

5º Parochus graviter negligens hac in re ad normam can. 2382 coerceri debet.

## CAPUT V.

### CORREPTIO

**1157.** — Parochi debent suas oves cognoscere et errantes prudenter corrigere. (can. 467.)

Quem ad finem debent primum auctores alicuius scandali vel abusus privatim et paterne hortari si spes fructus adsit; quod si non sufficiat, debent publice corripere. Deinde, ut parochia debite excolatur et contra fidei et morum pericula opportuno roboretur auxilio, can. 1349 statuit: Ordinarii advigilent, ut, saltem decimo quoque anno, sacram, quam vocant, missionem ad gregem sibi commissum habendam parochi curent. (Ibid. § 1.) Et Parochus, etiam religiosus, in his missionibus instituendis mandatis Ordinarii loci stare debet. (Ibid. § 2.)<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Notari meretur prop. 65. Synodi Pistoniensis, a Pio VI damnata in Bulla *Auctorem fidei*. 28 Aug. 1794. hoc modo: « Propositio enuntians irregularē strēpitū novarū institutionū, quae dictæ sunt Exercitia vel Missiones... forte nunquam, aut saltem perraro eo pertingere ut absolutam conversionem operentur, et exteiiores illos commotionis actus, qui apparuere, nil aliud fuisse quam transeuntia naturalis concussionis

Denique, ubi nihil intentatum reliquit ut malo consuleret, etsi, generaliter loquendo, non sit stricta obligatio faciendi correptionem, cum nulla subest spes prefectus, non debet tamen Parochus eam omittere, sed identidem repetere peccatoribus obstinatis, si grave damnum inde sibi non immineat; tum ne Parochus ab aliis subditis male audiat, cum vident scandalum durare, et pastorem obmutescere; tum ne alii inde ansam sumant sordescendi in peccatis, cum vident neminem esse, qui eos corripiat.

Adhaec Pastor non solum tenetur peccata et scandalia exsistentia auferre, verum etiam illa, quae facile excitari possunt, praecavere, bonum promovendo; quo spectant cumprimis piae Congregationes et Confraternitates.

Quum Parocho commissa sit salus uniuscuiusque ovis, ipsius est pro viribus impedire et corrigere vitia cuiuslibet ovis suae, atque ad eum finem inquirere in vitam subditorum, speciatim quinam praeceptum Paschale omiserint. Propterea non sufficit quod scandalia amovere abususque extirpare conetur correptione publica in Ecclesia, et salutaribus monitis in tribunali Poenitentiae; sed saepius officium eius postulat ut parochianum, qui vitam deviam sequitur aut scandalum praebet, adeat, eumque moneat, prout zelus et prudentia suggesterint. Caveat autem ne ob humanum timorem officium istud negligat erga potentes aliquos subditos; pro omnibus enim rationem redditurus est Supremo Iudici. (*Lib. 3. n. 360. dub. 2. H. A. 30-34.*)

## CAPUT VI.

### QUAEDAM ALIAE OBLIGATIONES

**1158.** — Praeter descriptas obligationes, quae sunt principales, subsunt aliae haud levis momenti. Tenentur videlicet Parochi: 1º frequenti oratione gregem sibi creditum adiuvare, ut, postquam ipsi plantaverint et rigaverint, Deus incrementum det.

---

*fulgura.* Temeraria, male sonans, perniciosa, mori pie et salubriter per Ecclesiam frequentato et in verbo Dei fundato iniuriosa.

Iuvat hic subiungere testimonium Benedicti XIV. de *Missionum utilitate*. in Constit. *Gravissimum*. 8 Sept. 1745. ad Episcopos Neapolitanos: « § 4. Diuturna experientia edocti perspexit, ad improbos mores corrigitos, qui vel serpere incipiunt, vel nimis iam invalescent, vel tandem diuturnitate confirmati dioeceses latius occuparunt, nihil magis conferre, quam alienam opem ac vires implorare, videlicet sacras Missiones ubique indicere. § 10. Quocirca neque novum, neque incertum, neque a Nobis excogitatum dici potest hoc remedium, quod populi corruptelis corrigiendi aptissimum, et fortasse unicum, quod tot Episcopi pietatis gloria insignes magna cum utilitate suis in dioecesibus adhibuerunt, quod Nos ipsi toties experti sumus, et Vos etiam, qui procul dubio populum vobis commissum sacris Missionibus aliquando recreatis. »

Defnde adhortatio Pii IX ad Episcopos Austriacos in Litter. *Singulari quidem*. 17 Mart. 1856: « Cum sacrae Missiones ab idoneis operariis peractae summopere conducant ad fidei religionisque spiritum in populis excitandum, eosque ad virtutis ac salutis semitam revocandos, vehementer optamus ut illas identidem in vestris dioecesibus agendas curetis. Ac meritas summasque laudes iis omnibus deferimus, qui a vestro ordine in suas dioeceses tam salutare sacrarum Missionum opus iam invexere, ex quo. divina adspiciente gratia, uberes fructus perceptos fuisse gaudemus. » Similia protulcrat in Litter. *Nostris*. 8 Dec. 1849. ad Episcopos Italiae. Cfr. etiam opus meum *Theologia Pastoralis*. n. 257. sequ.

2º Bono esse exemplo, « integritas enim praesidentium salus est subditorum, »<sup>1)</sup> siquidem « in eos tamquam in speculum reliqui oculos coniiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur; »<sup>2)</sup> frustra igitur praedicabunt, nisi exemplo praeeant.

3º Bona opera promovere, puta consuetas functiones sacras in ecclesia sedulo peragere (can. 467), pias Congregationes et Confraternitates instituere aut fovere, promovere usum Exercitiorum Spiritualium<sup>3)</sup>, patrocinari sic dictae *Actioni Catholicae*<sup>4)</sup>, pia loca erigere, et alia huiusmodi pro opportunitate locorum et personarum.

4º Pauperum ac infirmorum curam gerere; « praecepto enim divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere. » (Trid. sess. 23. c. 1. ref. Cfr. et can. 467.)

Debent igitur Parochi de *egenis*, praesertim occultis, inquirere, eisque pro viribus opitulari. Cum primis perpendant quot sponsi vivant in peccato, quia eis non suppetit copia matrimonium ineundi; quot pueri ob paupertatem condormiant cum parentibus, aut mares cum puellis in eodem lecto, cum tanta animarum pernicie. — Cum ad Sacraenta ministranda *aegrotis* accersuntur, promptissimi accurrant. Sed et cum primum noverint, aliquem e parochia graviter aegrotare, ultiro ad eum accedant pluriesque, si opus fuerit, redeant. Insigne porro Parochorum munus est sedulo assistere moribundis, ad sancte moriendum eos adiuvando, praesertim peccatoribus habituatis, qui peculiari assistentia magnopere indigent. (H. A. n. 45. 64. Cfr. et opus meum cui titulus: *Theologia pastoralis*, part. 3. cap. 5. art. 2.)

Unde can. 468 dicit: Sedula cura et effusa caritate debet parochus aegrotos in sua paroecia, maxime vero morti proximos, adiuvare, eos sollicite Sacramentis refiendo eorumque animas Deo commendando. (§ 1.)

Parocco aliive sacerdoti, qui infirmis assistat, facultas est eis concedendi benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis secundum formam a probatis liturgicis libris traditam, quam benedictionem impetrini ne omittat. (can. 468. § 2.)

5º Curam agere de scholis; allaborent Parochi scholis puerorum ad catholicam normam instituendis moderandisque; puerorum in scholis institutioni solertissime invigilent; inspiciant quae sit magistrorum docendi ratio, qui libri adhibeantur; solliciti sint ut idonei bonisque moribus praediti magistri constituantur. Ubi cumque deprehenderint scholas, in quibus iuventus exponitur damno circa fidem aut bonos mores, debent parentibus ob oculos ponere eas scholas haud posse frequentari. Consulat lector supra n. 329-330.

<sup>1)</sup> Trid. Sess. 6. cap. I. ref.

<sup>2)</sup> Trid. Sess. 22. cap. 1. ref.

<sup>3)</sup> Cfr. litt. encycl. Pii XI. 20 Dec. 1929. p. 689.

<sup>4)</sup> Cfr. Ep. Pii XI ad Episc. Wratislav. 13 Nov. 1928. A. A. S. 1928. p. 384. Plura habes supra ad n. 372 bis.

Parochus — ita can. 469 — diligenter advigilet, ne quid contra fidem ac mores in sua paroecia, praesertim in scholis publicis et privatis, tradatur, et opera caritatis, fidei ac pietatis foveat aut instituat.

6º Oves suas apprime cognoscere; quem ad finem, ubi fieri potest, parochianorum familias visitare non omittant, ad cognoscendum eorum statum religiosum: de singulis familiis faciant adnotationes suas, quas libro *de statu animarum* inscribant, prout in Rituali Rom. tit. 12. cap. 6. praescribitur. Habeat etiam libros paroeciales ad normam can. 470.

7º Curam habere ecclesiae et domus parochialis, ut in integro statu serventur. Nihil magis decet Parochos quam ut domus Dei decorum diligent, utque semper ac in omnibus munditia, decentia, ac nitore resplendent. Cfr. ca. 1178.

8º Rite administrare bona ecclesiastica, tum quae ad parochiale Beneficium, tum quae ad fabricam Ecclesiae spectant; speciatim servare canones de non alienandis bonis ecclesiasticis; quos canones commentantur Iuris Canonici interpretes. Cfr. can. 1476 seqq., vol. II, n. 1078.

9º Tandem Ordinarii locorum et parochi acatholicos, in suis dioecesibus et paroeciis degentes, commendatos sibi in Domino habeant. (can. 1350. § 1.)

### Pars Tertia.

## De officiis Episcoporum

S. Alf. lib. 4. c. 2; H. A. tr. 7. n. 47-63.

Munus episcopale seu pastorale, pascendi scil. gregem suum, pro tripli potestate Episcopi: magisterii, ministerii et regiminis, triplex officium complectitur: officium docendi, officium litandi atque Sacramentorum administrationi omniue cultui divino providendi, officium tandem regendi Ecclesiam Dei. Huic triplici officio rite adimplendo necessario praesupponitur obligatio Episcopi degendi apud gregem suum atque subsequitur obligatio reddendi rationem de munere adimplete. Hinc ex ordine dicemus de Episcopi officio: 1º residendi, 2º docendi, 3º litandi atque Sacramentorum administrationi omniue cultui providendi, 4º regendi, 5º referendi S. Pontifici de munere peracto seu de statu dioeceseos.

### CAPUT I.

#### DE OFFICIO RESIDENDI

**1159. — I. Obiectum obligationis.** Episcopi debent residere personaliter et formaliter in propria dioecesi; imo tempore Adventus et Quadragesimae, diebus Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi per se etiam Ecclesiae Cathedrali adsint oportet; quae quidem lex residentiae urget, etiamsi Episcopus habeat Coadiutorem. Cfr. can. 338. § 1. et 4. Conc. Trid. sess. 6. *de ref. cap. 2;* sess. 23. *de ref. cap. 1.* Ratio autem obligationis residentiae in genere est ipsum munus susceptum, vi cuius ipsem Episcopus varia officia pastoralia exercere debet atque sollicitudinem gerere ut etiam alii rite officiis suis fungantur. Hoc autem non facit Episcopus qui «neque a semita iustitiae deflectentes non revocat, neque periclitantibus opem et auxilium defert, neque demum adversus lupos rapaces, qui vestimentis ovium saepe intrant ovile ut rapiant et mactent, sedulo invigilat fortiterque se opponit. In qua sane vigilantia ac pastorali sollicitudine potissimum sita est vera et formalis residendi ratio.» Ita Bened. XIV Const. *Grave* 15 Aug. 1741. — Hinc etiam e sententia communi haec obligatio iuris divini dicenda est. (n. 121.) Ratio autem residentiae *penes Cathedralem certis anni temporibus* est, quum iis temporibus, ut ait Conc. Trid. sess. 23. c. 1. *de ref.:* «refici maxime, et in Domino gaudere pastoris praesentia oves debeant.»

**II. Conditiones legitimae absentiae.** 1º *Sine ulla alia causa* Episcopus abesse potest ratione visitationis Sacrorum Liminum, vel Conciliorum quibus interesse debet, vel civilis officii suae ecclesiae legitime adiuncti,<sup>1)</sup> 2º de caetero vero requiritur *aequa causa* ut possit abesse, non tamen ultra duos vel ad summum tres menses intra annum, sive continuos, sive intermissos, dummodo cautum sit ne ex Episcopi absentia dioecesis quidquam detrimenti capiat. Insuper tempus istud coniungi nequit sive cum tempore sibi concessa occasione suaे promotionis,<sup>2)</sup> vel visitationis Sacrorum Liminum, vel assistentiae Concilio, sive cum tempore vacationum anni subsequentis; 3º ut ultra illud tempus absit, requiritur *gravis causa* et *dispensatio Pontificia*; 4º ut absit ab Ecclesia Cathedrali tempore maiorum sollemnitatum de quibus supra, requiritur *gravis et urgens causa*. Cfr. can. 338, § 2 et 3.

Graves causae sunt christiana caritas, urgens necessitas, debita oboedientia et evidens Ecclesiae aut Reipublicae utilitas, quas explanavimus dicendo de obligationibus Parochorum supra n. 1143. (n. 122. 125.)

**QUAERITUR num tempore contagionis Episcopi residere teneantur.**

*Resp. Affirm.*: Idque Gregorius XIII diserte declaravit 18 Dep. 1576 hisce verbis: «Decretum factum in Parochis, multo magis procedere in Episcopis, qui magis obligati sunt; tamen posse Episcopos in locis tutioribus manere, et inde providere». Revera enim, si Episcopus in huiusmodi necessitatibus oves suas deserit, quis aliis eis satis providere curabit? (*Lib. 6. n. 233 in fine*.)

**III. Poenae non residentium.** 1º Pro rata illegitimae absentiae privatur Episcopus eo ipso omnibus fructibus sui beneficii; qui quidem fructus ecclesiae vel alicui pio loco vel pauperibus distribuendi sunt. (can. 2381. 1º.) Cfr. tamen supra n. 1144 et n. 1108. *qu. 4.*

2º Si Episcopus ultra sex menses e dioecesi illegitime afuerit, Episcopum Metropolita, Metropolitam antiquior Suffraganeus<sup>3)</sup> residens Sedi Apostolicae denuntiet. (can. 338. § 4.) Haec autem tandem Episcopum beneficio suo privare potest. (can. 2381. 2º.)

## CAPUT II.

### DE OBLIGATIONE DOCENDI

Dicemus: 1º de officio praedicationis, 2º de cura circa institutionem iuuentutis in genere et clericorum in specie, 3º de officio tuendi et propagandi fidem christianam.

<sup>1)</sup> Cfr. can. 139, praesertim § 4. Cfr. etiam Conc. Trid. l. c. Const. Urbani VIII. *Sancta Synodus*. 12 Dec. 1634.

<sup>2)</sup> Cfr. can. 333.

<sup>3)</sup> Cfr. can. 284 unde liquet per antiquorem intendi antiquorem promotione ad Ecclesiam suffraganeam.

*Articulus I.***De officio praedicandi.**

**1160.** — I. Officium praedicandi in dioecesi *praecepit* spectat ad Episcopum (cfr. can. 1327); quapropter tenetur officio praedicandi *per se ipse* Evangelium, nisi legitimo prohibeatur impedimento. (cfr. can. 1327. § 2.) — Episcopus ius habet praedicandi Verbum Dei in qualibet sui territorii ecclesia, etiam *exempta*. Imo, nisi agatur de magnis civitatibus, potest quoque prohibere ne in aliis eiusdem loci ecclesiis verba fiant ad fideles, quo tempore vel concionem ipse habet, vel coram se, ex causa publica atque extraordinaria, convocatis fidelibus, habendam curat. Cfr. can. 1343. § 1 et 2.

Conc. Trid. postquam *Sess. 23. cap. 1. de ref.* declaverat *omnes animarum pastores praecepto teneri oves suas verbi divini praedicatione pascere*, dein *Sess. 24. cap. 4. de ref.* hoc modo Episcoporum obligationem exprimit: «*Praedicationis munus quod Episcoporum praecipuum est, cupiens Sancta Synodus quo frequentius possit ad fidelium salutem exerceri... mandat, ut in ecclesia sua ipsi per se, aut si legitime impediti fuerint, per eos quos ad praedicationis munus assument, in aliis autem ecclesiis per Parochos... saltem omnibus Dominicis et solemnibus diebus festis, tempore autem ieiuniorum Quadragesimae et Adventus Domini, quotidie vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, Sacras Scripturas divinamque legem annuntient; et alias quotiescumque id opportune fieri posse iudicaverint.*» Similia habentur in *Sess. 5. cap. 2. de ref.* — Quocirca observat S. Alf. Episcopos, ex consuetudine communi, legis interprete, *regulariter* non teneri per seipso praedicare; ob tot negotiorum genera, quae expedire debent et aliis facile committere nequeunt, prout committi potest munus concionandi; cui muneri iam Concilium permittit Episcopis satisfacere per alios, si ipsi impediti fuerint. Debent tamen operam dare ut per alios id praestent. Porro, dictum est: *regulariter*, nam videntur saltem interdum teneri ad concionandum, cum ipsi, ut declarat Trid. *loc. cit.* iure divino teneantur oves suas verbi divini praedicatione pascere. (*Lib. 3. n. 269. Lib. 4. n. 127. V. Hinc. communiter H. A. tr. 6. n. 5.*)

In pluribus dioecesibus Episcopi huic officio partim etiam satisfaciunt praedicando occasione administrationis sacramenti Confirmationis, vel instituendo visitationem; tandem aliquo modo etiam publicando Litteras pastorales, in omnibus ecclesiis preelegendas.

II. Episcopus non solum per se ipse, nisi sit legitime impeditus, praedicare debet; sed insuper, praeter parochos, *alios* quoque *viros idoneos* assumere ad huiusmodi praedicationis munus salubriter exercendum. (Cfr. can. 1237. § 2.) In specie: 1º Episcopi est omnia in sua dioecesi edicere quae ad populum in christiana doctrina instituendum spectant; et etiam religiosi exempti, quoties non exemptos docent, eadem servare te-

nentur. (Cfr. can. 1336.) Poterit etiam Superiores religiosos exemptos obligare, ut per se vel per suos subditos, sine tamen regularis disciplinae detimento, catecheticam institutionem populo tradant, praesertim in propriis ecclesiis, si ita iudicaverit necessarium. Cfr. can. 1334. De oblig. parochorum. Cfr. supra n. 1153 et can. 1329-1333; 1344, 1345.

2º Debet invigilare Episcopus ut *missiones* saltem decimo quoque anno habeantur (can. 1349. Cfr. supra n. 1157), atque etiam *acatholicos* in suis dioecesibus degentes in Domino commendatos habeat; nemo tamen ad amplexandam fidem catholicam invitus cogatur. Cfr. can. 1349-1351. Cfr. etiam supra de obligatione fidem propagandi n. 315 bis.

Utiliter in multis regionibus *Conferentiae pro acatholicis* instituuntur, atque libri atque libelli *apologetici* acatholicis tridunatur, vel in periodicis opportunitas iis datur proponendi sua dubia, ut iis apte respondeatur. Cfr. tamen can. 1325. § 3. de disputationibus cum acatholicis. Cfr. etiam supra n. 328 de consociationibus mixtis et de prohibitione participandi conventibus ab acatholicis indictis ad procurandam unionem omnium coetuum, christianorum nomen sibi vindicantium.

3º Nemini ministerium praedicationis licet exercere, nisi a legitimo Superiore missionem receperit, *facultate peculiariter data*, vel *officio collato* cui ex sacris canonibus praedicandi munus inhaereat. Ita can. 1328. Facultas dari non debet sine examine, nisi aliunde de idoneitate constet. Etiam necessaria est facultas Episcopi pro religiosis exemptis, nisi solis exemptis religionis clericalis praedicare velint; imo, pro hisce Superior religiosus admittere potest et religiosum alias Instituti vel sacerdotem saecularem. Religiosis sine gravi causa facultas non est deneganda vel subtrahenda. Cfr. can. 1337-1342, ubi haec latius evolvuntur.

### *Articulus II.*

#### De cura circa institutionem iuuentutis in genere et clericorum in specie.

##### § I - DE CURA CIRCA INSTITUTIONEM IUVENTUTIS IN GENERE.

**1161.** — Episcopus curare debet ut quantum fieri possit, iuventus etiam in scholis sive elementaribus sive mediis aliisve institutis educativis doctrina christiana instruatur atque ut in quibusvis scholis etiam universitariis tota institutio etiam disciplinarum ex se profanarum spiritu catholico imbuta sit; atque tandem ut omne periculum etiam quoad bonos mores a iuventute arceatur. Hinc Episcopus: 1º non solum ius sed etiam obligationem habet *iudicandi* de aptitudine scholarum atque *condendi* scholas catholicas; 2º habet ius, illudque exclusivum, atque obligationem providendi ordinationem *doctrinae christianaee* in scholis; 3º habet ius et obligationem *invigilandi* atque *visitandi* scholas in iis quae reliquias et moralem institutionem spectant.

**I. Obligatio iudicandi et condendi scholas.** Episcopus scholas acatholicas, neutras, mixtas, quae nempe etiam acatholicis patent, per se loquendo pueris catholicis frequentandas permittere non potest, ob manifesta pericula illis scholis annexa. Solummodo urgente necessitate et specialibus adhibitis cautelis, prae oculis habitis normis Sedis Apostolicae, tolerare potest ut eae scholae celebrentur. Cfr. can. 1374 et supra n. 329-330.

Quodsi scholae spiritu catholico imbutae desint, Episcopus, quantum fieri potest, condat vel condere curet scholas catholicae elementares et medias. Imo in tali casu etiam optandum est ut cum aliis Episcopis concurrat ut in natione vel regione Universitas catholica condatur; cuius tamen canonica institutio Sedi Apostolicae reservatur. Cfr. can. 1375-1376-1379.<sup>1)</sup>

**II. Obligatio providendi de doctrina christiana in scholis.** Curet Episcopus 1º ut in qualibet schola elementari pueris pro eorum aetate tradatur institutio religiosa; sibi etiam reservando ius approbandi religionis magistros et libros (can. 1373 § 1, 1381 § 3); 2º ut iuventus quae medias vel superiores scholas frequentat, pleniori religionis doctrina excolatur idque per sacerdotes zelo et doctrina praestantes et adhibitis libris ab ipso approbatis (can. 1373. § 2. 1381. § 3)<sup>2)</sup>; 3º ut iuventuti universitariae, praesertim in quaestionibus mixtis quae materiam singularum facultatum respiciunt, concordia inter fidem et scientiam apto modo exponatur.

**III. Obligatio invigilandi et visitandi scholas.** 1º Episcopus habet officium vigilandi ne in quibusvis scholis sui territorii quidquam contra fidem vel bonos mores tradatur aut fiat. Hinc, praeter ius iam memoratum approbandi *religionis* magistros et libros, habet etiam ius, religionis morumque causa, exigendi ut tum magistri tum libri removeantur. (can. 1381.) 2º Insuper Episcopus potest, atque pro adjunctis etiam debet, sive ipse per se sive per alios, scholas quaslibet, oratoria, recreatoria, patronatus etc. *visitare* in iis quae ad religiosam et moralem institutionem spectant. Ab hac visitatione quorumlibet *religiosorum* scholae exemptae non sunt, nisi agatur de scholis internis pro professis religionis exemptae. Cfr. can. 1382.

### § II. - DE CURA CIRCA INSTITUTIONEM CLERICORUM IN SPECIE.<sup>3)</sup>

**1162.** — Quum animarum salus maxima ex parte a zelo sacerdotali pendeat, ideo Episcopus summam curam adhibere debet rectae institutioni cleri, idque praesertim ope Seminarii. Quapropter dicemus de obliga-

<sup>1)</sup> Cfr. Instr. S. C. de Prop. Fide approb. a Pio IX 24 Nov. 1875: Collect. n. 1449. Cfr. et Const. *Deus scientiarum Dominus*. 24 Maii 1931. art. 4. *A. A. S.* p. 241. Vide etiam supra n. 329 sequ.

<sup>2)</sup> Cfr. v. g. Concord. cum Italia art. 36. (*A. A. S.* 1929. p. 291).

<sup>3)</sup> Cfr. Conc. Trid. sess. 23. cap. 18. de ref. S. C. de Sem. *Enchiridion Clericorum. Doc. Eccl. scolarum alumnis instituendis*: typ. polygl. Vatic. 1938. Cfr. etiam S. Alf. H. *Ap. tract.* VII. n. 53, et eius opusculum: *Regolamento per i Seminarii*. Cfr. etiam plura utilia in Instr. S. C. de Sacram. 27 Dec. 1930 (*A. A. S.* 1931 p. 121.) et Instr. S. C. de Relig. 1 Dec. 1931 (*A. A. S.* 1932. p. 74). de formatione clericali et religiosa alumnorum ad sacerdotium vocatorum. — Etiam *Ius Plant.* 1936. p. 164. Tandem vide etiam Deer. S. C. pro Eccl. Orient. 27 Jan. 1940 de recta cleri orientalis institutione in territoriis patriarchalibus (*A. A. S.* 1940. p. 152).

tione: 1º instituendi Seminarium, 2º providendi eius regimini, 3º prudenter admittendi et dimittendi iuvenes, 4º eorum educationem intellectualem, religiosam et moralem, civilem atque corporalem rite ordinandi. Tandem 5º aliquid subiungemus de fovendis studiis superioribus clericorum qui ad ea ideonei sint.

**I. Obligatio instituendi Seminarium.** Episcopus curare debet ut in loco convenienti habeatur Seminarium, in quo certus adolescentium numerus exclusive<sup>1)</sup> ad statum clericalem instituatur. Imo, in maiori praesertim dioecesi bina instituat Seminaria, minus ad pueros litterarum scientiis imbuendos, maius alumnis philosophiae ac theologiae vacantibus. Si Seminarium institui vel rite continuari nequit, Episcopus alumnos in alienum Seminarium mittat, nisi Seminarium interdioecesanum vel regionale, auctoritate apostolica, institutum fuerit. (Cfr. can. 1354.) Vide etiam can. 1355 et 1356, 1362 de modo sustentandi Seminarii in temporalibus.<sup>2)</sup>

**II. Obligatio providendi regimini Seminarii.** Episcopi est statuere cuncta quae ad Seminarium spectant. Studeat frequenter visitare Seminarium et cunctis invigilare. Habeat Seminarium statuta ab Episcopo approbata; adsint Rector pro disciplina,<sup>3)</sup> magistri pro instructione, oeconomus a Rectori distinctus, duo saltem confessarii ordinarii et director spiritus. Cfr. can. 1358. Cfr. etiam can. 1359 de coetu bino deputatorum, pro disciplina et pro administratione, necnon can. 1360 et can. 1366 de dotibus in Superioribus aliisque requisitis. Magistri disciplinarum superiorum saltem licentiatu gaudere deberent;<sup>4)</sup> praferendi autem sunt ceteris paribus qui laurea potiuntur.<sup>5)</sup> Saltem S. Scripturae, theologiae dogmaticae, theologiae moralis et historiae ecclesiasticae totidem habeantur distincti magistri. Cfr. can. 1366.

**III. Obligatio circa admissionem et dimissionem adolescentium.** 1º Episcopus ne admittat nisi filios legitimos, vel matrimonio subsequente legitimatos<sup>6)</sup> quorum indoles et voluntas spem afferant eos cum fructu ecclesiasticis ministerii perpetuo inservituros.

Antequam recipientur, documenta exhibere debent de legitimitate natalium, de susceptis baptismate et confirmatione ac de vita et moribus. Dimissi ex aliis Seminariis vel ex aliqua religione ne admittantur, nisi prius Episcopus etiam secreto a Superioribus aliisque notitias requisierit de causa dimissionis ac de moribus, indole et ingenio dimissorum, et certo compererit nihil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat; quas notitias, veritati conformes, eorum

<sup>1)</sup> Cfr. Litt. Enc. Pii XI. *Officiorum omnium*, 1 Aug. 1922. *A. A. S.* 1922. p. 451. *Ench. Cleric.* p. 603.

<sup>2)</sup> De Seminariis in terris Missionum cfr. Enc. Bened. XV *Maximum illud*, 30 Nov. 1919. *A. A. S.* 1919. p. 440; *Enchirid. Cleric.* p. 538; Pii XI *Rerum Eccl.* 28 Feb. 1926. *A. A. S.* p. 65, praesertim, p. 74 et 76.

<sup>3)</sup> De eius conditione iuridica cfr. can. 1368; *Ius. Pont.* 1936. p. 69.

<sup>4)</sup> Cfr. Const. *Deus. scientiarum Dominus*, art. 9. Pro re biblica cfr. *Motu proprio* 27 April. 1924. *A. A. S.* p. 280; ubi saltem Baccalaureatus in re biblica pro Professore Seminarii requiritur.

<sup>5)</sup> Gradus tamen licentiae obtentus secundum normas Const. *Deus. scientiarum Dominus*, eosdem sortitum iuridicos effectus ac laurea ante candem Constitutionem adepta, nisi alter Sedes Apostolica in casibus particularibus decreverit. Ita ex Decl. S. C. de Sem. et Stud. Univers. 23 Maii 1948 (*A. A. S.* 1948. p. 260).

<sup>6)</sup> Ita *Comma. Cod.* 13 Iulii 1930. (*A. A. S.* 1930. p. 365).

conscientia graviter onerata, suppeditare Superiores debent. (can. 1363.) Imo antequam in Seminarium admittantur qui, quocumque titulo ad familiam religiosam pertinuerint, Ordinarius ad S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus recurrat, quae de iudicio suo Ordinarium certiore faciat, peractis iis omnibus quae casus ferat. Ita deer. S. C. de Relig. et S. C. de Sem. 25 Iulii 1941.<sup>1)</sup>

2º E Seminario *dimittantur* dyscoli, incorrigibiles, seditiosi, ii qui ob mores atque indolem ad statum ecclesiasticum idonei non videantur; itemque qui in studiis adeo parum proficiant ut spes non affulgeat eos sufficientem doctrinam fore assecuturos; praesertim vero *statim* dimittantur qui forte contra bonos mores aut fidem deliquerint. (can. 1371.)

**IV. Obligatio circa educationem.** 1º *Quoad educationem intellectualis*, attendat Episcopus: a) ad ea quae in can. 1364 statuuntur pro *inferioribus* seminarii scholis atque in Enc. *Officiorum* supra citata, praesertim de bene addiscenda lingua latina; b) ad can. 1365 de numero, duratione atque methodo disciplinarum philosophicarum atque theologicarum; sicut etiam ad Epist. S. C. de Seminariis die 8 Sept. 1926 de *catechetica disciplina* in sacris Seminariis impense excolenda<sup>2)</sup> necnon ad litteras eiusdem S. C. diei 28 Aug. 1929 de studiis orientalium rerum et iterum de catechesi in Seminariis impensis colenda,<sup>3)</sup> atque *quoad studium S. Scripturae* ad Enc. Leonis XIII *Providentissimus Deus* 18 Nov. 1893<sup>4)</sup> et ad ep. Comm. biblicae 20 Aug. 1941 ad Episc. Italiae.<sup>5)</sup>

2º *Quoad educationem religiosam et moralem* «curet Episcopus, ut ait can. 1367, ut alumni: a) singulis diebus communiter matutinas et serotinas *preces* recitent, per aliquod tempus *mentali* orationi vacent, sacrificio *Misae* intersint; b) semel saltem in hebdomadae ad sacramentum *poenitentiae* accedant et frequenter, qua pars est pietate, *eucharistico* pane se reficiant; c) *Dominicis et festis* diebus, sacris Missarum et vesperarum sollemnibus adsint, altari inserviant sacrasque caeremonias exerceant, praesertim in ecclesia cathedrali, si id, iudicio Episcopi, sine disciplinae et studiorum detimento fieri possit; d) singulis annis per aliquot dies continuos *exercitiis* spiritualibus vacent; e) semel saltem in hebdomadae adsint *instructioni* de rebus spiritualibus quae pia exhortatione claudatur. (can. 1367.) Cfr. etiam can. 1368 et 1369. § 1.

3º *Quoad educationem civilem et corporalem* curet Episcopus ut Rector aliique moderatores alumnis verae et christianaes urbanitatis leges tradant eosque exemplo ad illas colendas excitant; hortetur eos praeterea ut

<sup>1)</sup> A. A. S. 1941. p. 371. Cfr. etiam *Motu proprio* de pont. opere vocationum Sacerdotalium 4 Nov. 1941. A. A. S. 1941. p. 479. Statuta pli operis cfr. A. A. S. 1943. p. 369. De ingressu Seminaristarum in religionem et vice versa cfr. quoque *Comm. pro religiosis* 1942. p. 226 (art. Card. La Puma) et *Period.* 1942. p. 73 et 242; 1943. p. 172, ubi plura utilia.

<sup>2)</sup> A. A. S. 1926. p. 453. Cfr. Instr. «Sull'importanza della pedagogia» 21 Dec. 1944. A. A. S. 1945 p. 173.

<sup>3)</sup> A. A. S. 1930. p. 148.

<sup>4)</sup> *Ench. bibl.* n. 66. *Acta Leonis XIII.* 13. 326.

<sup>5)</sup> *Acta Ap. Sedis.* 1941. p. 465.

praecepta hygienica, vestium et corporis munditiam et quamdam in conversando comitatatem cum modestia et gravitate coniunctam, iugiter servent. Cfr. can. 1369. § 2 et 3.

V. Quoad studia universitaria, optandum, ut ait can. 1380, ut locorum Ordinarii, pro sua prudentia, clericos, pietate et ingenio praestantes, ad scholas mittant alicuius Universitatis aut Facultatis ab Ecclesia conditae vel approbatae, ut ibi studia praesertim philosophiae, theologiae ac iuris canonici perficiant, et academicos gradus consequantur. De iis studiis cfr. Const. *Deus Scientiarum Dominus* cum ordinationibus adnexis.<sup>1)</sup>

### *Articulus III.*

#### **De obligatione tuendi et propagandi fidem.**

1163. — I. Episcopus curare debet ut puritas fidei ac morum in clero et populo conservetur. (Cfr. can. 336. § 2.) Hunc in finem debet servare ea quae ab Ecclesia statuta sunt et ad eum spectant, de praevia censura librorum eorumque prohibitione (can. 1384 seqq.), de fidei professione (can. 1406 seqq.), de matrimonii mixtis, de scholis, associationibus acatholicis<sup>2)</sup>, de Consilio Vigilantiae.

Consilium Vigilantiae instituendum iubetur in Encyclica *Pascendi* Pii X 7 Sept. 1907<sup>3)</sup>; atque a S. C. Officii 22 Mart. 1918 declaratum fuit praescriptionem hanc adhuc in vigore remanere, usque dum Ap. Sedes aliter statuerit; praescriptionem ideo non fuisse in Codice assumptam quia natura sua fuit tantum temporaria ac transitoria; idem declaratur de iuramento antimodernistico (de quo supra n. 315. III.).<sup>4)</sup> Hoc Consilium e gemini cleri viris doctis expertis et prudentibus componi debet. Altero quoque mense statoque die cum Episcopo convenire debent, quae tractarint decreverint, arcani lege custodientes. Modernismi indicia pervestigare debent vigilanter, praesertim quoad vocum novitatem, in libris et praelectionibus. Cfr. Enc. *Pascendi*; Motu proprio *Sacrorum Antistitum* 1 Sept. 1910;<sup>5)</sup> S. C. *Consist.* 25 Sept. 1910.<sup>6)</sup>

II. Episcopus abstinere debet a *definiendis* quaestionibus circa fidem et mores, quae inter probatos auctores controvertuntur, quia eiusmodi definitio S. Sedi reservata est.<sup>7)</sup> Nihilominus potest circa controversias silentium imponere donec causam detulerit ad S. Sedem, ad praecavenda

<sup>1)</sup> A. A. S. 1931. p. 241.

<sup>2)</sup> Cfr. tom. I. n. 328. 329; tom. II. n. 706.

<sup>3)</sup> *Act. Sanctae Sedis* XL. p. 648.

<sup>4)</sup> Cfr. A. A. S. 1918. p. 136. Consilium Vigilantiae vi instr. S. C. Conc. 12 Ianuarii 1930 semel saltem in anno etiam de aptioribus modis ac rationibus ad feminarum modestiae efficaciter consulendum ex professo agat. A. A. S. 1930. p. 26. sub. XI.

<sup>5)</sup> A. A. S. 1910. p. 685.

<sup>6)</sup> A. A. S. 1910. p. 740.

<sup>7)</sup> Cfr. Bened. XIV. *de Syn. l. VII. c. 1.* Cfr. et can. 1326.

scandala. Potest etiam opiniones proponere et commendare, neconon docere alias prae aliis esse magis salutares et professoribus Seminarii iniungere ut tales prae aliis doceant, ita tamen ut quod dubium est neque ut doctrina certa vel catholica tradatur neque censura theologica notetur.<sup>1)</sup>

De obligatione propagandi fidem cfr. dicta in art. I et supra n. 315 bis.

### CAPUT III.

## DE OBLIGATIONE LITANDI ET ADMINISTRANDI SACRAMENTA

### *Articulus I.*

#### De obligatione litandi.

1164. — Docet Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. *de ref. praecepto divin. mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, pro ovibus suis Sacrificium offerre.* Quapropter, inquit Leo XIII in Constit. *In suprema 10 Iunii 1882:*<sup>2)</sup> «Moralis et Iuris Pontificii Doctorum una fere sententia est officium celebrandi Missam pro populo maiori ratione ad Episcopos, quam ad Parochos pertinere. Omnium loco sit S. Alfonsi de Ligorio, Ecclesiae Doctoris, auctoritas. Si autem Parochi, et omnes quibus cura animarum commissa est, tenentur in Dominica et Festis de praecepto Missam celebrare et applicare pro populo, tanto magis ad id tenentur Episcopi tamquam principaliores animarum pastores.»<sup>3)</sup>

Qua in re ob connexionem materiae hic complectimur non solummodo ea quae Codex statuit pro Episcopo residentiali, verum etiam ea quae statuit circa obligationem Episcopi titularis, Abbatis *nullius*, Vicarii Capitularis, Vicarii et Praefecti Apostolici, Administratoris Apostolici. Porro:

I. **Quoad Episcopos residentiales.** Vi canonis 339: 1º Debent post captam sedis possessionem, omni exiguitatis reddituum excusatione aut alia quavis exceptione remota, omnibus dominicis aliisque festis diebus de praecepto, etiam suppressis, Missam pro populo sibi commisso applicare. Quaenam sint ista festa, cfr. supra n. 1145.

2º In festo Nativitatis Domini, et si quod festum de praecepto in diem dominicam incidat, satis est ut Missam unam pro populo applicent.

<sup>1)</sup> Ita de Meester *Iuris Can. Comp.* II. n. 685. Tali libertate usus est S. Alfonsus relate ad Confessario qui systema ei nimis laxum sequebantur. Cfr. litt. ad Villani 1767 (*Corresp.* III. n. 217.)

<sup>2)</sup> A. S. S. vol. XIV. p. 529.

<sup>3)</sup> Lib. VI. n. 326.

3º Si festum ita transferatur ut in die *ad quem* non solum fiat officium cum Missa festi translati, sed serventur quoque obligationes audiendi Missam et abstinendi a servilibus, Missa pro populo applicanda est in die *ad quem*; secus in die *a quo*.

4º Episcopus Missam pro populo diebus supra indicatis per se ipse applicare debet; si ab eius celebratione legitime impediatur, statis diebus applicet per alium; si neque id praestare possit, quamprimum vel per se ipse, vel per alium applicet alia die.

5º Licet Episcopus duas vel plures dioeceses aequo principaliter unitas regat ut, praeter propriam dioecesim, aliam vel alias in administrationem habeat, obligationi tamen satisfacit per celebrationem et applicationem unius Missae pro universo populo sibi commisso.

6º Episcopus, qui obligationi de qua in superioribus paragraphis non satisfecerit, quam citius pro populo tot applicet Missas, quot omisit.

**II. Quoad Episcopos titulares.** Decet ex caritate, citra tamen obligationem, ut aliquando Missae Sacrificium pro sua dioecesi applicent. Ita can. 348. § 2.

**III. Quoad Abbatem « nullius » et Vicarium Capitularem.** Habent eandem obligationem ac Episcopus residentialis. Sequitur ex can. 323. § 1 et 440.

**IV. Quoad Vicarios et Praefectos Apostolicos.** Missae sacrificium pro populis sibi commissis applicare debent saltem in sollemnitatibus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Beatae Mariae Virginis, Sancti Joseph eius sponsi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Omnium Sanctorum, servatis iis quae can. 339. § 2. seqq. pro Episcopo residentiali statuuntur; iuxta dicta sub. I. n. 2-6. Sequitur ex can. 306.

**V. Quoad Administratorem Apostolicum.** Si est permanenter constitutus, eodem modo tenetur ac Episcopus residentialis. Si ad tempus datus sit, non tenetur obligatione applicandae Missae pro populo, quae Episcopum gravat. Sequitur ex can. 315. § 1 et 2.

## Articulus II.

### De officiis circa Sacraenta cultumque divinum in genere.

**1165.** — Episcopus multiplices habet obligationes circa Sacraenta cultumque divinum in genere. Quum autem singulae istae obligationes suis locis in hoc opere tractentur, praecipuas ex iis breviter tantummodo hic recensemus, Lectorem studiosum ad loca ista remittendo. Obligationes autem circa Sacrificium Missae cum iis quae ad SS. Eucharistiae Sacramentum spectant, connectimus.

**I. CIRCA BAPTISMUM.** Baptismus adulorum ubi commode fieri potest ad Ordinarium deferatur (II. n. 50); hic etiam iudicet de valore Baptismi haereticorum (II. n. 53) et

permittere potest ut privatim sub conditione baptizentur (II. n. 68); tandem in casu extraordinario Baptismi solemnis administrationem permittere valet in domo privata. (II. n. 78.)

II. CIRCA CONFIRMATIONEM. — Tenetur per se vel impeditus per alium hoc sacramentum conferre. Cfr. plura hac de re in *tom. II. n. 88.*

III. CIRCA SS. EUCHARISTIAM ET MISSAE SACRIFICIUM. Cfr. dicenda in *tom. II*, circa licentiam ab Episcopo petendam pro asservatione SS. Eucharistiae (n. 171), pro expositione publica (n. 176); circa supplicationem XL horarum (n. 177); circa quantitatem et transmissionem stipendiorum (n. 206. 211), vigilantiam in adimptionem onerum Missarum et recognitionem librorum huc spectantium (n. 214. 215); fundationes Missarum (n. 217)<sup>1)</sup>; Missae celebrationem in Ecclesia aliena (n. 228); locum celebrationis. (n. 231.)

IV. CIRCA SACRAMENTUM POENITENTIAE. Cfr. quae in *tom. II* dicentur circa examen Confessariorum (n. 349), negationem vel limitationem iurisdictionis (n. 354), reservationem peccatorum (n. 385); locum confessionis (n. 398), modum recipiendi denuntiationem Confessarii sollicitantis. (n. 426.)

V. CIRCA EXTREMAM UNCTIONEM. Cfr. dicenda *tom. II. num. 536.* de benedictione oleorum.

VI. CIRCA ORDINIS SACRAMENTUM. Cfr. *tom. II* praesertim de ministro legitimo (n. 570), scrutinio (n. 573), tempore et loco (n. 576); subiecto (n. 583), irregularitatibus et impedimentis (n. 592), ritibus et caeremoniis (n. 611); poenis. (n. 619. 621.)

VII. CIRCA MATRIMONII SACRAMENTUM. Cfr. *tom. II* inde a n. 666 praesertim de dispensatione a publicationibus (n. 683), de matrimoniis mixtis (n. 706), de potestate dispensandi ab impedimentis. (n. 773.)

Tandem, circa cultum sacrarum imaginum et reliquiarum, cfr. dicta supra n. 412. 413; circa superstitionem n. 417; circa supellectilem sacram Ecclesiae Cathedralis cfr. can. 1299. seqq.; circa sacra olea cfr. can. 734.

## CAPUT IV.

### DE OBLIGATIONE REGENDI DIOECESIM

Dicemus: 1º de obligatione tuendi disciplinam ecclesiasticam, 2º de obligatione visitandi dioecesim, 3º de obligatione corrigendi et exercendi potestatem iudicialem, 4º de parochorum et confessariorum delectu, 5º de obligatione dandi bonum exemplum seu de virtutibus speciali modo ab Episcopo exercendis.

#### *Articulus I.*

##### **De obligatione tuendi disciplinam ecclesiasticam.**

1166. — Ut huic officio satisfaciat, Episcopus debet: 1º procurare observantiam legum generalium Ecclesiae; atque provinciae ecclesiasticae,

<sup>1)</sup> Cfr. etiam supra n. 698-699, de executione et commutatione piarum dispositionum in genere.

salvo iure dispensandi in iis casibus in quibus ex causa proportionata vi juris communis vel ex concessione speciali dispensare poterit. Cfr. I. n. 193. sub 2º et 3º.

2º celebrare Synodum decimo saltem quoque anno, in qua Synodo «est de iis tantum agendum quae ad particulares cleri populi necessitates vel utilitates referuntur.» Can. 356. § 1. Cfr. et can. 303. 304 pro Vic. Ap.

3º condere leges vel Statuta particularia, sive intra, sive extra Synodum. Cfr. can. 335. Cfr. et can. 292 de conventu episc. eiusdem Prov. Cfr. et A. A. S. 1932. p. 242 (pro Italia).

4º rite ordinare Curiam dioecesanam. Cfr. can. 363 seqq. Cfr. et can. 375 et 304 de archivio.

5º exercere vigilantiam in congregaciones religiosas non exemptas, in opera religiosa et charitativa, etc. Cfr. S. Alf. H. A. tr. 7. n. 61; *Theol. Mor. lib. 4. n. 56. 57.* Cfr. et can. 500 (de ambitu potestatis in Congr. relig.), 506 (de electionibus), 512 (de visitatione), 520 (de confessariis, de quibus et infra tom. II, n. 368 seqq.), 552 (de exploranda voluntate).

## *Articulus II.*

### **De obligatione visitandi dioecesim.**

**1167. — I. Obligatio.** Episcopus tenetur obligatione visitandae quotannis dioecesis vel ex toto vel ex parte, ita ut saltem singulis quinquenniis universam vel ipse per se, vel si fuerit legitime impeditus, per Vicarium Generalem aliumve lustret. Qua in visitatione peragenda fas est Episcopo clericos duos etiam e Capitulo sive cathedrali sive collegiali sibi adsciscere visitationis comites atque adiutores; eosque quos maluerit eligere, reprobato quocumque contrario privilegio vel consuetudine. Si obligationi Visitationis Episcopus graviter defuerit, Metropolita Visitationem peragere potest, causa prius ab Apostolica Sede approbata. Ita ex can. 343, coll. can. 274. Cfr. etiam Conc. Trid. sess. 24. cap. 3. ref. Cfr. et can. 301. pro Vic. Ap.

**II. Scopus Visitationis.** Institui debet Visitatio ad sanam et orthodoxam doctrinam conservandam, bonos mores tuendos, pravos corrigendos, pacem, innocentiam, pietatem et disciplinam in populo et clero promovendam ceteraque pro ratione adiunctorum ad bonum religionis constituenta. Ita ex can. 343. § 1. Cfr. et Conc. Trid. l. c.

**III. Obiectum Visitationis.** Episcopus debet instituere visitationem *personalem, realem et localem.* Etiam ea loca pia visitare debet, quae quamvis exempta, intra dioecesis ambitum continentur, nisi probari possit specialem a visitatione exemptionem fuisse ipsis ab Apostolica Sede concessam. Cfr. can. 344. § 1. Qua in re notes praescriptioni obnoxium

non esse ius visitationis et oboedientiae ita ut subditi a nullo Praelato visitari possint et nulli Praelato iam subsint. (can. 1509. 7º.) Religiosos autem exemptos Episcopus visitare potest in casibus tantum in iure expressis.<sup>1)</sup>

**IV. Forma et modus Visitationis.** 1º Visitator in iis quae obiectum et finem visitationis respiciunt, debet *paterna forma* procedere et ab eius praecepsis ac decretis datur recursus in devolutivo tantum; in aliis vero causis, etiam tempore visitationis, Episcopus *ad normam iuris* procedat necesse est. Ita can. 345.

2º Studeant Episcopi debita cum diligentia, sine inutilibus tamen moris, pastoralem visitationem absolvere; caveant ne superfluis sumptibus cuiquam graves onerose sint, neve ratione visitationis ipsi aut quisquam suorum pro se suisve dona quodvis genus petant aut accipiant, reprobata quavis contraria consuetudine; circa vero victualia sibi suisque ministrastra vel procurations et expensas itineris, servetur legitima locorum consuetudo. Ita can. 346. Cfr. etiam S. Alf. *H. A. tr. 7. n. 59-60.*

### *Articulus III.*

#### **De obligatione corripiendi et exercendi potestatem iudicialem.**

**1168. — I. Quoad obligationem corripiendi.** Episcopus strictius adhuc quam Parochus tenetur subditos corripere et scandalis abusibusque occurtere; tum quia est principalis pastor, tum quia maiori auctoritate potest malis consulere. Pro eo valet illud Apostoli: «Quis scandalizatur, et ego non uror?» (II Cor. xi. 29.) Ut recte occurratur scandalis, opus est ut Episcopus assidue inquirat, non tantum a Parochis vel Vicariis foraneis seu Decanis, verum etiam ab aliis Sacerdotibus zelantibus quos sparsim in dioecesi ad id destinatos habeat, ut ab ipsis submoneatur de omni abusu, de omni scandalo quod norunt.

Tenetur Episcopus potissimum corripere potentes qui scandalum praebent; parochos indiligentes; concionatores divini verbi proditores qui stilo exornato seipsos praedicant sine ullo animorum fructu; Sacerdotes qui Missam celebrant sine debita gravitate, cui scandalo Episcopus sub gravi tenetur invigilare et mederi (*H. A. n. 63. 31. 36. 58.*) Cfr. praesertim etiam S. Gregorii Magni *Regulam pastoralis*, ubi fuse praesertim de officio corripiendi quasvis personas.

**II. Quoad obligationem exercendi potestatem iudicialem.** Episcopus habet *ius* et *officium* exercendi potestatem iudicariam et coactivam. Ad normam I. C. exercere debet munus iudicis sive per se sive per alios in causis quoque modo ad forum ecclesiasticum pertinentibus, sive ratione rei, sive ratione personae, idque in causis sive contentiosis sive crimina-

<sup>1)</sup> De caetero cfr. can. 512. 513. 600. 615. 618. 1261. 1279. 1332. 1489. 1491. Schäfer, *de Religiosis*, ed. 4. n. 393. Quoad visitationem localenam cfr. etiam *Pontificale Romanum* pars III. *Ordo ad visitandas Paroecias.*

libus. (Cfr. tom. I. n. 1234.) Illicitum est ei recusare redditioinem iuris ad instantiam partis legitime requirentis. Cfr. can. 1608 et 1625. Similiter potestatem coercitivam exercere debet ad normam canonis 2220 et sequentium. De caetero cfr. Noval, *de processibus*.

#### Articulus IV.

#### De Parochorum et Confessariorum delectu.

##### § I. - DE PAROCHORUM DELECTU.

**1169.** — I. Episcopus, graviter onerata eius conscientia, obligatione tenetur vacantem paroeciam illi conferendi quem magis *idoneum* ad eam regendam habuerit, sine ulla personarum acceptione. Ita can. 459. § 1. Cfr. etiam can. 1463. 1466 de iure patronatus, et Conc. Trid. Sess. 24. cap. 18 ref.

Caeterum, maior idoneitas eligendorum *non accipienda* est *absolute*, sed *respective* ad utilitatem Ecclesiae et fidelium; unde qui praeditus est maiori sanctitate aut prudentia, preferendus est ei qui sola scientia praevalet; caeteris paribus magis idoneus censetur qui magis dilectus erit a populo; ortus ex dioecesi potior est extraneo; potens et genere clarus, qui plus conferre possit ad bonum Ecclesiae, praelationem meretur; pro pinguiori Beneficio pauper preferendus est diviti; semper tamen sub clausula: *caeteris paribus*. (n. 92.)

II. In iudicio de maiori idoneitate ratio haberi debet non solum doctrinae, sed etiam earum omnium qualitatum quae ad paroeciam vacantem rite regendam requiruntur. Quare Episcopus ne omittat documenta si qua sint ex Curiae tabulario desumere quae clericum nominandum respiacent et noticias secretas quoque si opportunum iudicaverit prudenter exquirere etiam ex locis extra dioecesim. Ita can. 459. § 2. § 3. 1º.

III. In iudicio *de doctrina* pree oculis habeat Episcopus exitum examinis per triennium vi can. 130. § 1 subeundi. (Cfr. supra n. 1103. II.) Insuper candidatum examini coram se et examinatoribus synodalibus subiiciat; a quo, de consensu eorumdem examinotorum, potest dispensare, si agatur de sacerdote doctrinae theologicae laude commendato. In regionibus in quibus paroeciarum provisio fit per concursum sive specialem ad normam Const. Bened. XIV *Cum illud*. 14 Dec. 1742, sive generalem, haec forma retineatur, donec Sedes Ap. aliud decreverit. Ita can. 459. § 3. 2º et 3º et § 4. De Concursu cfr. supra n. 741.

Quoad doctrinam potest Episcopus se conformare examinatorum iudicio; ipsem vero de vitae probitate cognoscere debet: quocirca pro certo habeat, Parochum probum, sufficienter doctum, multo utiliore esse populo, quam doctiorem, sed minus probum. (H. A. tr. VII. n. 54.)

IV. Satis non fecit Episcopus bonos eligendo Parochos, tenetur quoque sollicite invigilare num Parochi munia sua impigre exsequantur. (H. A. n. 55.)

### § II. - DE CONFESSARIORUM DELECTU.

1170. — I. Maxima debet esse Episcopi diligentia in confessariis seligendis. A confessariis namque pendet directio conscientiarum et unus confessarius qui ignarus aut laxus aut moribus incompositus est, totum locum in peius mutare potest. Non debet igitur Episcopus aliquem approbare quin prius *certus* fiat de eius tum *probitate* tum *sufficienti sanaque doctrina*; quia sicut peccat quisquis sine debita scientia huic muneri se ingerit, ita etiam peccat qui talem approbat. Certus autem fieri de Sacerdotis idoneitate debet Episcopus per examen super Theologia Morali, nisi aliunde eius scientiam satis noverit. De hoc examine cfr. etiam infra *tom. II. n. 349 seqq. et can. 877.* (H. A. tr. VII. n. 56.)

II. Quamvis optanda esset in confessariis *scientia* eminens, sufficit tamen *mediocris*, ita ut sciant ea quae frequentius accidunt, et de aliis dubitare atque doctores vel libros consulere norint. Maior tamen minorve *scientia* requiritur aut sufficit pro diversitate locorum et poenitentium. Urgente necessitate, nimirum si aliter poenitentes deberent diu confessione carere, approbari posset Sacerdos qui sufficienti *scientia* caret, admonendus tamen foret de obligatione discendi. Cfr. dicenda *tom. III. n. 431 seqq. (lib. VI. n. 628.)*

III. Ad bonos confessarios excolendos perquam conferent conferentiae easuum conscientiae, quippe quae aptissimae sint tum ad exponendam et memoria retinendam Theologiam Moralem, tum ad acuendum iudicium in principiis ad casus praticos applicandis, quorum resolutio propter tot diversas circumstantias in praxi multas creare solet difficultates. De hisce conferentiis cfr. supra n. 1103. III. Neque praetermittat Episcopus advigilare confessariis num Officio suo rite fungantur, non excedendo, sive in rigore sive in laxitate. (*lib. VI. n. 628.*)

### Articulus V.

#### De obligatione boni exempli seu de virtutibus ab Episcopo praesertim colendis.

1171. — Episcopus exemplo luceat omnibus qui in domo Dei sunt, secundum Apostolum ad Tit. II. 7: « In omnibus te ipsum praebet exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate », ita ut vere sit « forma gregis » (I Petr. v. 3.) Hinc:

1º Ante omnia *charitate*, erga pauperes praesertim, praefulgeat. « Eleemosyna », inquit S. Gregorius, « est primum opus misericordiae quod Pastor

gregi suo praestare debeat »; mensa episcopalnis patrimonium est pauperum; multis quippe malis per eleemosynas occurere potest. Quare satagat Episcopus ut tum eleemosynis largiendis, tum piis institutionibus exstimalandis, puta Conferentiis S. Vincentii a Paulo, S. Francisci Regis, S. Elisabeth etc., indigentibus subveniat. Tali spiritu etiam actionem *socialem* promoveat. Cfr. supra n. 359.

2º Sit accessu facili, praecipue Parochis et Vicariis foraneis seu Deicanis; sit hospitalis, ut monet Apostolus. I Tim. II. 2.

3º Sit exemplum etiam *mansuetudinis*, beneficia, cum potest, ingratiss et inimicis rependendo, *paupertatis*, in modesta ac simplici domus supellecili, in famulorum numero, in vestitu et potissimum in mensae frugalitate; *orationis*, vitam interiorem ducendo; *mortificationis*, abstinendo a quibusdam solatiis, Praelatum non decentibus; *solitudinis*, ad laicorum conventus nonnisi ex necessitate accedendo; *modestiae*, mulierum commercia fugiendo, et, ubi necesse est cum eis versari, caute cum eis agendo; *zeli*, operam dando ut, omni data occasione, homines ad coelestia erigat. De hac materia apprime legi merentur praeclara monita Conc. Trid. Sess. 25. cap. 1. rej. (H. A. tract. VII. n. 64. 65.)

## CAPUT V.

### DE RELATIONE SUPER STATU DIOECSEOS ET VISITATIONE SS. LIMINUM

#### *Articulus I.*

##### De relatione super statu Dioeceseos.

1172. — I. Omnes Episcopi tenentur singulis *quinquenniis* relationem S. Pontifici facere super statu dioeceseos sibi commissae secundum formulam ab Ap. Sede datam. Ita can. 340. § 1.

Porro: 1º Quinquennia sunt fixa et communia atque computantur a die 1<sup>a</sup> Ianuarii 1911 atque distribuuntur pro variis regionibus secundum ordinem in can. 340. § 2 stabilitum. Attamen, si annus pro exhibenda relatione assignatus inciderit ex toto vel ex parte in primum biennium ab inito dioeceseos regimine, Episcopus pro ea vice a conficienda et exhibenda relatione abstinere potest.

2º Relatio debet exhiberi S. C. Consistoriali nisi Episcopus S. C. de Prop. Fide sit subiectus. Formula data ab hac S. C. 4 Nov. 1918<sup>1)</sup> postulat ut refe-

<sup>1)</sup> A. A. S. 1918. p. 487. Est innovatio Decreti eiusdem S. C. Consist. 31 Dec. 1909. de ordine servando in relationibus dioecesanis. A. A. S. 1910. p. 128.

ratur de statu materiali personarum et locorum, de administratione bonorum temporalium, inventariis, archivis, de fide (ubi et de modernismo) et cultu; de persona Ordinarii, Curia dioecesana, Seminario, clero in genere, Capitulis, Vicariis foraneis et parochis, religiosis, populo fideli, concludendo cum iudicio synthetico Ordinarii circa dioecesis statum. *Relatio triennalis de Modernismo, praescripta a litt. encycl. Pascendi 8 Sept. 1907 et Motu Proprio Sacrorum Antistitum 1 Sept. 1910, omitti potest, quatenus in relatione quinquennali continetur. Cfr. S. C. Consist. 25 Ian. 1912.*<sup>1)</sup>

II. Etiam *Vicarii ac Praefecti Apostolici* tenentur obligatione Sedi Ap. exhibendi plenam accuratamque relationem de suo quisque pastorali officio deque omnibus quaecumque ad statum vicariatus vel praefecturae, ad missionarios, ad religiosos, ad populi disciplinam, ad scholarum frequentiam, ad fidelium denique ipsorum curae commissorum salutem quavis ratione pertineant; quae relatio scripta esse debet et subscripta tum ab ipso Vicario aut Praefecto tum ab uno saltem ex consiliariis vi can. 302 constituendis.

Imo etiam *sub cuiusque anni exitum* ad S. Sedem mittant elenchum seu numerum conversorum, baptizatorum annuaeque Sacramentorum administrationis una cum aliis notatu dignioribus. Ita can. 300. — In relatione quinquennali confienda pree oculis habeatur series quaestionum a S. C. de Prop. Fide in epistola 16 Aprilis 1922 publicata.<sup>2)</sup> Haec relatio etiam ab Episcopis S. C. de Prop. Fide subiectis et a Superioribus Missionum exhibenda est, ut patet etiam ex ipsius epistolae inscriptione.

### Articulus II.

#### De visitatione SS. Liminum.<sup>3)</sup>

1173. — I. Omnes et singuli Episcopi *eo anno* quo relationem de qua supra in art. I exhibere tenentur, ad Urbem, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli sepulcra veneraturi, accedant et Romano Pontifici se sistant. Sed Episcopis qui *extra Europam* sunt, permittitur ut *alternis quinquenniis*, idest singulis decennis, Urbem petant. Ita can. 341. § 1 et 2.

II. Episcopus debet praedictae obligationi satisfacere per se vel *per Coadiutorem*, si quem habeat, aut, ex iustis causis a S. Sede probandis, *per idoneum sacerdotem*, qui in eiusdem Episcopi dioecesi resideat. Ita can. 342.

III. *Vicarii Apostolici* obligatione tenentur sacra Limina Beatorum Apostolorum Petri et Pauli visitandi eadem prorsus lege, qua Episcopi residentiales; cui tamen muneri, si quid graviter obstet ne per se ipsi illud expleant, satisfacere possunt per *procuratorem etiam in Urbe degentem*. Ita can. 299.

<sup>1)</sup> A. A. S. 1913. p. 101.

<sup>2)</sup> A. A. S. 1922. p. 287.

<sup>3)</sup> Cf. Wernz-Vidal *Ius Can.* II. n. 605 seqq.

## TRACTATUS II. DE STATU RELIGIOSO

S. Alf. lib. 4. H. A. tr. 13.

Explanabimus: 1º notionem generalem status canonici christianaæ perfectionis acquirendæ; 2º notiones status Religiosi et religionis; 3º ingressum religionis; 4º obligationes Religiosorum. Reliqua remittimus ad interpretes Iuris Canonici.

### CAPUT I.

#### NOTIO GENERALIS STATUS CANONICI PERFECTIONIS ACQUIRENDÆ<sup>1)</sup>

1174. — Praeter statum clericalem et statum laicalem, qui iure divino in Ecclesia distincti inveniuntur, medius inter eos, secundum se et quoad substantiam iure divino<sup>2)</sup> secundum accidentalem determinationem iuridicam iure canonico, institutus est status religiosus, cui et clerici et laici participare possunt. (can. 107.) Hiç est status perfectionis evangelicae, ad quam scilicet acquirendam religiosi stabiliter sese obligant modo ab Ecclesia determinato, descripto in C. I. C. Lib. II Parte II « De Religiosis ». Statui autem religioso, multis iam saeculis in Ecclesia vigenti, hodie accedunt alii status christianaæ perfectionis acquirendæ, qui ab Ecclesia nunc in pluribus ipsi aequiparantur, sive iam in ipso C. I. C. (sc. status vitae uti inventur in societatibus virorum aut mulierum in communi viventium sine votis, can. 673 sqq.) sive in legislatione posteriori (sc. status vitae uti inventur in institutis saecularibus, Const. Ap. *Provida Mater Ecclesia*, 2 Febr. 1947.<sup>3)</sup>

Determinatus modus quo in mente Ecclesiae haec perfectio christiana

<sup>1)</sup> Cfr. S. Thom. 1. 2. *qu.* 108. *a.* 4. et 2. 2. *qu.* 186. Suarez. *De virtute et statu religionis. Tract. VII.*  
*lib. 1.*

<sup>2)</sup> Cfr. Suarez. *o. c. lib. 3 c. 2.*

<sup>3)</sup> A. A. S. 1947. p. 114. Cfr. etiam Motu Proprio *Primo feliciter* 12 Martii 1948 et Instr. S. C. de Rel. 19 Martii 1948 A. A. S. 1948. p. 283 et 293.

seu evangelica acquirenda sit, consistit in stabili observantia non tantum communium praceptorum sed etiam trium consiliorum evangelicorum ad quam quis speciali iuridica obligatione sese adstringit. Dum enim quaecunque christiana perfectio consistit in vitae compositione secundum spiritum horum consiliorum, *status canonicus* perfectionis requirit ligamen speciale iuridicum ad ea definito modo observanda.

Evangelica autem consilia sunt voluntariae paupertatis, castitatis perfectae, et obedientiae ultroneae, a Christo Domino in Evangelio data ideoque evangelica dicta: Cfr. Matth. XIX. 16-22 pro paupertate, Matth. XIX. 11-12 pro castitate; pro obedientia vero citari possunt omnes loci Novi Testamenti in quibus omnimoda Christi sequela atque perfecta humilitas commendatur (cfr. Matth. XIX. 21 in fine, XVIII. 4; ad Phil. II. 3-8); imo omnes loci in quibus Ecclesia magistra totius doctrinae christiana ideoque etiam perfectionis, cum plena potestate regendi, constituitur. (Matth. XXIX. 20; Luc. X. 16.)<sup>1)</sup>

Sunt et alia consilia in Evangelio data (cfr. Matth. V. 39 seq.) sed illa tria vocantur nomine proprio evangelica, quia sunt media universalia, quae natura sua omnia impedimenta perfectionis evangelicae seu habitualis exercitii charitatis auferunt; paupertas dvitias, quae pertinent ad concupiscentiam oculorum, castitas delicias carnis, quae pertinent ad concupiscentiam carnis, obedientia honores, qui pertinent ad superbiam vitae. (Cfr. I Jo. II. 16; S. Thom. I. 2. qu. 108. a. 4.)

**1175. — In quo consistit perfectio christiana.** Ut ex dictis patet, perfectio christiana acquirenda de qua hic agitur, consistit: 1º ESSENTIALITER in perfecta observantia *mandatorum*, non in consiliis; et quidem: a) simpliciter seu principaliter in exercitio charitatis, b) secundum quid vero in observantia praceptorum aliarum virtutum; quatenus eorum observantia excluduntur ea omnia quae charitati sunt contraria, ut sunt peccata<sup>2)</sup>. 2º INSTRUMENTALITER vero seu accidentaliter perfectio consistit in *consiliis*, quatenus ordinantur ad removenda impedimenta *actus* charitatis, quae tamen charitati non contrariantur; sicut sunt matrimonium, occupatio negotiorum saecularium et alia huiusmodi.<sup>3)</sup>

Differentia inter statum religiosum et alios status canonicos perfectionis acquirendae. Ad constituendum verum statum religiosum duo statui possunt elementa essentialia: 1) in communi vivendi modus 2) vota publica obedientiae, castitatis et paupertatis. (can. 487; 488. 1º). Status vitae in *societatibus in communi viventium sine votis* deficit in primo elemento sc. non emittuntur vota publica, observato tamen secundo elemento sc. vita communi (can. 673. § 1.) Status vitae in *institutis saecularibus* in utroque elemento deficit, quia nec etiam vita communis ibi conservata est. (Const. *Provida*, *Lex peculiaris Art. II.*)

<sup>1)</sup> Cfr. Vermeersch. *De Religiosis. n. 14* cfr. et 2. 2. qu. 186. a. 5. *Sed contra est.*

<sup>2)</sup> Cfr. 2. 2. qu. 184. a. 1.

<sup>3)</sup> Cfr. 2. 2. qu. 184. a. 3.

In sequentibus solummodo agemus de statu religioso eiusque obligationibus; licet enim et alii status plura habeant quae theologiae moralis interest (v. g. de natura et extensione obligationis ex voto privato, iuramento, promissione etc.) attamen propter multifariam varietatem institutorum, constitutionum et modi vivendi hucusque difficile videtur tradere regulas generales nisi eas quae de voto et iuramento inveniuntur sub II<sup>o</sup> Praecepto. De cetero inspicienda sunt propriae constitutiones.<sup>1)</sup>

## CAPUT II.

### NOTIONES STATUS RELIGIOSI ET RELIGIONIS<sup>2)</sup>

**1176. — I. Definitio status religiosi.** Status religiosus definiri potest: stabilis in communi vivendi modus quo fideles, praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota obedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt. (can. 487.)

Dicitur: 1<sup>o</sup> *stabilis vivendi modus*; ad statum enim hominis, ut ipsa vox inuit, requiritur quaedam stabilitas seu immobilitas in modo vivendi. (cfr. S. Thom. 2. 2. *qu. 188. a. 1.*) Haec ergo conditio ex natura rei requiritur.

2<sup>o</sup> *in communi*: id est convivendo cum membris eiusdem instituti sub Superiore secundum eandem regulam in eadem domo. Haec conditio requiritur iure ecclesiastico: Ecclesia enim de facto alium statum religiosum non agnoscit.

3<sup>o</sup> *per vota*: est causa permanens ex qua oritur stabilitas in modo vivendi in statu religioso; est enim *praecipuus* modus quo quis contrahit obligationem sufficienter permanentem in ordine ad perfectionem sc. obligationem directe ad Deum. <sup>3)</sup> Porro vota illa debent esse *publica*: non vero requiritur ut sint *perpetua*: sed sufficit si sint *temporaria*, elapso tamen tempore *renovanda*. Patet ex iis quae iuxta infra dicenda ex voluntate Ecclesiae requiruntur et sufficiunt ad habendam religionem. <sup>4)</sup>

Ex praecedentibus patet quam merito can. 487 edixerit statum religiosum ab omnibus in honore habendum esse.<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> Cfr. Stanton. *De societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis*<sup>2</sup>. Halifax. 1936. Rothoff. *Le droit des sociétés sans voeux*. 1949. ubi vero solummodo res iuridicæ; in ultimo auctore etiam de instituti saecularibus.

<sup>2)</sup> De hac materia cfr. Fanfani. *De Iure Religiosorum*<sup>2</sup>. 1925; Schaefer. *De Religiosis*<sup>4</sup>. 1947; Pejska. *Ius canonicum Religiosorum*<sup>3</sup>. 1927; *Commentarium pro Religiosis*; Beyersbergen. *De nieuwe Codex en de religieuzen in N. K. St.* 19-8-1921 passim. — Recole can. 490: Quae de religiosis statuantur, etsi masculino vocabulo expressa, valent etiam pari iure de mulieribus, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet.

<sup>3)</sup> Cum antea status canonicus perfectionis acquirendae coincideret cum statu religioso, antiquiores autores saepius docentes inveniunt, quod ad statum perfectionis *omnino* requiritur votum trium consiliorum. Cfr. S. Thom. 2. 2. *qu. 186. a. 6.* Moderni nunc, post recognitionem status canonici perfectionis acquirendae etiam ex *mera promissione* (Const. *Provida*. 2 Febr. 1947. *Lex peculiaris. Art. III. A. A. S.* 1947 p. 121.), non recte antiqua repeterent. Inter antiquos iam rectius etiam in sensu moderno v. g. Suarez. *De virt. et statu relig. tr. VII. lib. II. c. 4. n. 7-8.*

<sup>4)</sup> Cfr. N. K. St. 1918. p. 185.

<sup>5)</sup> Cfr. etiam Litt. Pii VI *Quod aliquantum*, 10 Martii 1791; *Schema Conc. Vatic. in Coll. Lac.* p. 575 et 628; Litt. Leonis XIII 22 Ian. 1899 ad Card. Gibbons; et 23 Dec. 1900 ad Card. Richard.

**II. Definitio religionis.** Religio est societas, a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius societatis leges vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt. (can. 488. 1º)

Dicitur 1º: *a legitima ecclesiastica auctoritate approbata.* Subiectio enim erga auctoritatem ecclesiasticam atque tacita saltem agnitione seu approbatio a parte Ecclesiae requiritur a charaktere *publico* huius status.<sup>1)</sup> Porro legitima illa auctoritas certo est ipsa S. Sedes, quoties aliquam societatem cum votis supra descriptis diserte approbat; nihilominus essentia religionis ideoque sufficiens approbatio etiam in iis societatibus cum talibus votis inveniri videntur, quae tantum quod vocant *decretum laudis* a S. Sede obtinuerunt vel quas *Episcopus* ad normam can. 492 § 1, consulta S. Sede, condidit vel condi sivit. Ratio est quia haec implicita approbatio sufficit, ut ipsae in Codice (can. 488. 3º) nomine religionis indicentur.

Dicitur 2º: *vota publica:* publica autem sunt vota, si nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico acceptentur. (can. 1308 § 1.) Unde etiam ad validitatem cuiusvis religiosae professionis requiritur ut a legitimo Superiore secundum constitutiones per se vel per alium recipiatur. (can. 573 § 1. 6º.)

**1177. — Divisio religionum.** Dividuntur religiones: 1º ratione VOTORUM: in *Ordines* seu religiones in quibus vota *solennia* nuncupantur et in *Congregationes religiosas* vel *Congregationes simpliciter* seu religiones in quibus vota dumtaxat *simplicia* sive perpetua sive temporaria emittuntur. Porro, votum est sollempne, si ab Ecclesia uti tale fuerit agnatum; secus simplex. (can. 1308. § 2. 488. 2º.)

2º ratione DIVERSI IURIS sub quo vivunt, distingui possunt: a) religiones *exemptae* et non *exemptae*; exemptae sunt religiones sive votorum sollemnium sive simplicium, a iurisdictione Ordinarii loci subductae; (can. 488. 2º.) b) religiones *iuris pontificii* quae vel approbationem vel saltem laudis decretum ab Apostolica Sede sunt consecutae; *iuris dioecesani*, quae ab Ordinariis erectae, hoc laudis decretum nondum obtinuerunt. (can. 488. 3º)

3º ratione SODALIUM datur religio *clericalis*, cuius plerique sodales sacerdotio augentur; secus est *laicalis*. (can. 488. 4º.)

4º ratione FINIS religiones distingui possunt vel tales quae ex instituto suo principaliter se exercent in operibus *vitae contemplativae*, rerum divinarum contemplationi vacando; vel tales quae ex fine suo speciali destinantur ad *vitam activam*, opera misericordiae exercendo, corporalia vel spiritualia; vel demum tales quae operibus misericordiae spiritualibus incumbunt, exercendo ministeria sacra, quibus animae proximorum iuvantur, quaeque *vitam mixtam* potius exercere dicuntur eo quod vitae activae contemplationem coniungant, atque contemplata in alios transfundant.

<sup>1)</sup> Cfr. Wernz. *Ius Decr.* III. n. 590. III. Immerito quidam insinuare videntur *formalem* approbationem atque traditionem saltem patri spirituali factam, ex natura rei requiri, quanvis praesertim hoc alterum valde connaturale sit. Cfr. Vermeersch. *De religiosis.* I. n. 27; n. 29,

Ex hisce religiones contemplativae perfectiores sunt activis; mixtae vero perfectiores sunt contemplativis, cum perfectius sit lucere et illuminare, quam lucere tantum, et eorum officium fuerit Apostolorum et ipsius Christi Domini. Rursus, inter religiones quae eundem finem habent, praestantior illa est, quae aptioribus mediis et exercitiis ad illum finem et ad vota sua observanda utitur. Ita S. Thom. 2. 2. *qu.* 188. *a.* 6. Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 2. Suar. *De Relig. tr.* 9. *lib.* 1. *cap.* 5 et 6. Salmant. *tr.* 15. *cap.* 1. *punct.* 5.<sup>1)</sup>

### CAPUT III.

## INGRESSUS IN RELIGIONEM

Dicemus: 1º de subiecto religionem ingrediente; 2º de probatione subiecti in postulatu et noviciatu; 3º de modo ingrediendi religionem seu de professione religiosa.

### *Articulus I.*

#### Subiectum religionem ingrediens.

1178. — Principium generale. *In religione admitti potest QUILIBET CATHOLICUS qui nullo legitimo detineatur IMPEDIMENTO RECTAQUE INTENTIONE moveatur et ad religionis ONERA FERENDA sit idoneus.* (can. 538.) Ex hoc principio generali sequitur tria elementa concurrere debere ut catholicus in religionem admitti possit: absentiam dico impedimentorum, rectam intentionem, idoneitatem ad religionis onera ferenda. Porro, haec tria elementa requiri atque sufficere sequitur ex eo quod tunc tantum et tunc semper quando haec tria elementa concurrunt, habeatur *vocatio divina ad statum religiosum seu manifestatio divini beneplaciti circa ingressum alicuius in religionem.* De singulis autem elementis singulatim dicendum est; subiungemus paragraphum de obligatione ingrediendi in religionem.

#### § I. - ABSENTIA IMPEDIMENTORUM.<sup>2)</sup>

1179. — Impedimenta ingressus religionis sunt aut talia quae hunc ingressum invalidum reddunt aut talia quae eum illicitum tantum faciunt. Porro e can. 542. sub. 1º:

<sup>1)</sup> De multiplicatione religionum vide errores synodi Pistoriensis, a Pio VI damnatos Const. *Auctorem idei.* 28 Aug. 1794. n. 82. 84.

<sup>2)</sup> Cfr. N. K. S. 1919. p. 163. 206.

I. INVALIDE ad noviciatum ideoque et ad religionem admittuntur:

1º Qui sectae acatholicae adhaeserunt; i. e. ii qui a fide deficientes tali sectae adhaeserunt; non vero ii qui Dei gratia moti ex haeresi vel schismate in quibus nati sunt, ad Ecclesiam pervenerint. Ita C. C. Int. 16 Oct. 1919. A. A. S. 1919. p. 476. ad 7.

2º Qui aetatem ad noviciatum requisitam non habent, i. e. completum decimum quintum saltem aetatis annum. (can. 555. § 1. 1º.)

3º Qui religionem ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inducti, vel quos Superior eodem modo inductus recipit;<sup>1)</sup>

4º Coniux, durante matrimonio;<sup>2)</sup>

5º Qui obstringuntur vel obstricti fuerunt vinculo professionis religiosae;

6º Hi quibus imminet poena ob grave delictum commissum de quo accusati sunt vel accusari possunt;

7º Episcopus sive residentialis sive titularis, licet a Romano Pontifice sit tantum designatus;

8º Clerici qui ex instituto Sanctae Sedis iureiurando tenentur operam suam navare in bonum suae dioecesis vel missionum, pro eo tempore quo iurisiurandi obligatio perdurat.

Verba *ex instituto S. Sedis* intelligenda videntur de iuramento non ex iure communi, sed ex *speciali ordinatione pontificia* emitendo. Cfr. infra tom. II. n. 618.

1180. — II. ILLICITE, sed valide admittuntur vi can. 542. sub 2º:

1º Clerici in sacris constituti, inconsulto loci Ordinario aut eodem contradicente ex eo quod eorum discessus in grave animarum detrimentum cedat, quod aliter vitari minime possit;

2º Aere alieno gravati qui solvendo pares non sint;

3º Reddendae rationi obnoxii aut aliis saecularibus negotiis implicati, ex quibus lites et molestias religio timere possit;

4º Filii qui parentibus, idest patri vel matri, avo vel aviae, in gravi necessitate constitutis, opitulari debent, et parentes quorum opera sit ad liberos alendos vel educandos necessaria;

5º Ad sacerdotium in religione destinati a quo tamen removeantur irregularitate aliove canonico impedimento;

6º Orientales in latinis religionibus sine venia scripto data Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali.

Haec tamen venia non requiritur pro Orientalibus qui, proprio retento ritu, praeparantur ad constituendas domus et provincias religiosas ritus orientalis. Cfr. Comm. Cod. Inst. 10 Nov. 1925. ad 6. <sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Hic nota poenam excommunicationis nemini reservatae contra cogentes ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem in can. 2352. Infra tom. II. n. 1077.

<sup>2)</sup> Codex in can. 1119 espresse supponit dari aliquando dispensationem.

<sup>3)</sup> A. A. S. 1925. p. 583.

1181. — NOTANDA. 1º An filii obedire teneantur parentibus in electione status, expositum fuit supra n. 541.

2º Omnes candidati ut licite admittantur afferre debent testimonium recepti baptismatis et confirmationis. (can. 544.)

3º Adspirantes *viri* insuper afferre debent litteras testimoniales Ordinarii originis ac cuiusque loci in quo, post expletum decimum quartum aetatis annum, morati sint ultra annum moraliter continuum, *sublato quilibet contrario privilegio*; aliasque litteras testimoniales Superiorum suorum, si in seminario, collegio vel alius religionis postulatu aut novitiatu fuerunt; ad normam can. 544-546. <sup>1)</sup> Imo ex decreto 23 Iulii 1941 S. C. de Religiosis et S. C. de Seminariis, <sup>2)</sup> antequam familiae religiosae adscribantur qui, quavis de causa, e Seminario egressi sint, Superiores religiosi ad S. C. de Religiosis recurrent quae de suo iudicio Superiores certiores faciet, peractis iis omnibus quae casus ferat.

4º *Mulieres* autem ne recipiantur, nisi *praemissis accuratis investigationibus* circa earum indolem et mores, et si in collegio vel alius religionis postulatu aut novitiatu fuerint, habitis Superiorum litteris testimonialibus (can. 544. § 7.) Insuper requiritur ut in monasteriis *monialium* postulans afferat *dotem* in constitutionibus statutam aut legitima consuetudine determinatam. In religionibus votorum simplicium quoad dotis necessitatem standum est constitutionibus. De caetero circa dotem observentur praescripta can. 547-551. <sup>3)</sup> Demum, sicut ante quamvis professionem, ita etiam ante novitiatum *voluntas puellae* ab Ordinario eiusve deputato *explorari* debet ad normam can. 552. <sup>4)</sup>

5º Superiores religiosi qui candidatum non idoneum contra praescriptum can. 542, aut sine requisitis litteris testimonialibus contra praescriptum can. 544, ad novitiatum receperint, pro gravitate culpae puniantur, non exclusa officii privatione. Ita can. 2411.

## § II. - RECTA INTENTIO.

1182. — Notio. Recta intentio ea est qua quis ex motivo supernaturali sincere velit ingredi in religionem, puta ex motivo magis se coniungendi Deo, aut lapsus emendandi anteactae vitae, aut saeculi pericula vitandi. (*Prax. Conf.* n. 92.)

Quare ad eam non requiritur *specialis* quaedam vel *sensibilis* propensio in statum religiosum; haec enim, si ex causa naturali oritur, ad summum *idoneitatis* signum erit; si ex motivo supernaturali, signum divini beneplaciti esse potest, at non est signum necessario requisitum; quum divinum illud beneplacitum ex eo quod quis non impeditus et idoneus, intentionem supernaturalem ingrediendi religionem efformet, sufficienter cognosci possit. <sup>5)</sup>

1183. — Notanda pro praxi. 1º Ante omnia curet Confessarius bene ponderare in *qualem* religionem ingredi quis cupiat; nam, si umquam institutum illud

<sup>1)</sup> Cfr. N. K. S. 1920. p. 164.

<sup>2)</sup> A. A. S. 1941. p. 371. De interpretatione huius decreti cfr. *Comm. de Religiosus* 1942. p. 226 (Card. La Puma); *Periodica* 1942. p. 73 et 242; 1943. p. 172. ubi plura utilia.

<sup>3)</sup> Cfr. N. K. St. 1920. p. 43. 1924. p. 133; *Apollinaris*. 1928. p. 273 et 297 (de dote monialis ad aliud monasterium transeuntis.)

<sup>4)</sup> Cfr. N. K. St. 1920. p. 172.

<sup>5)</sup> Cfr. Vermeersch. l. c. II. *Suppl. III*; N. K. S. 1911. p. 324; 1912. p. 270; 1914. p. 151.

relaxatum est, melius erit alicui (ordinarie loquendo) quod in saeculo remaneat. Nam illi se aggregando, ipse se geret, sicut se gerunt alii; et parum illud boni, quod prius exsequebatur, de facili in tali religione negliget, ut misere pluribus accidit.

2º Confessarius speciatim expendat *finem*, ob quem quis religionem ingredi velit. Quodsi principalis finis esset mundanus, vitam agendi commodiorem, aut se liberandi a propinquis durae conditionis, aut complacendi parentibus qui ad hoc eum impellunt, caveat ne permittat religionem ingredi. Nam eo casu illa non est vera vocatio; sine qua huiusmodi ingressus malum habebit eventum. Si autem finis est bonus et abest impedimentum, nec debet nec potest Confessarius neque alius, ut docet S. Thomas, <sup>1)</sup> sine culpa gravi illum prohibere ab ingressu in religionem; quamvis prudenter agat aliquando, si execucionem illi differat, ad melius experiendum an resolutio sit firma et perseverans; praesertim, si noverit, adolescentem esse volubilem, aut si deliberatio illa facta fuerit tempore missionis vel exercitiorum spiritualium; quia in huiusmodi occasionibus quaedam concipiuntur proposita, quae postmodum, primo fervore transacto, deficiunt. (*Prax. Conf. n. 92.*)

### § III. - IDONEITAS.

1184. — **Notio.** Idoneitas hie intelligitur non mera absentia impeditorum, sed positiva praesentia earum qualitatum corporis et animae, ex quibus aliquam personam oneribus religionis ferendis parem esse sperare licet. Hae autem qualitates existimandae sunt non tantum secundum naturam religionis in genere, verum etiam secundum specialem indolem religionis istius quam quis ingredi velit.

1185. — **Regulae.** I. Qualitates pro ingressu religionis *cuiusvis* requisitae eae sunt, quae profluunt ex natura *votorum* atque *vitae communis* in genere.

Unde *per se* minus apti ad vitam religiosam videntur qui difficile se continent vel proprii genii sunt tenacissimi; vel e contra ita parum sibi constantes atque ita mutabiles ut facile a proposito deflectant; demum ii qui nimis ad melancholiam sunt proclives; praesertim vero omnes ii qui pathologice affecti sunt. Diximus eos *per se* videri minus aptos; *per accidens* enim iidem ex abundantia aliarum qualitatum et majori copia gratiarum quas forte accipiunt quibusque orando et vim sibi inferendo fideliter correspondere satagunt, a iuando saltem sufficienter idonei reputari possunt; id quod tamen de iis qui gradu notabili pathologice sunt affecti, haud admittendum est. <sup>2)</sup>

II. Qualitates pro ingressu *determinatae* alicuius religionis requisitae eae sunt quae ex *proprio* huius instituti *fine* atque ex *mediis propriis* hunc finem proseguendi deduci possunt.

<sup>1)</sup> *Quodlib. 3. art. 14.*

<sup>2)</sup> Consule Vermeersch. *I. c. Suppl. III. art. 4. § 2. 4.*

Aliae enim qualitates requiruntur in religioso vitae contemplativae, aliae in religioso vitae activae, aliae demum in religioso vitae mixtae dedito. Verum etiam inter religiones eumdem finem prosequentes maxima datur mediorum diversitas pro diverso quo reguntur *spiritu* atque diversis quibus utuntur *regulis*. Aliquando enim paupertas, aliquando austeritas corporalis, aliquando evangelica simplicitas vel vita communis p[re]caeteris colitur. Unde vel maior valetudo corporalis vel maiores diversaeque animi dotes requiri possunt.

III. In dubio an qualitates requisitae in candidato inveniantur, nihi lominus experiendi causa in noviciatum admitti potest; non vero ad professionem praesertim perpetuam.

Unde quod ad Superiores attinet S. Thomas animadvertisit: « Adolescentem ad religionem recipere illicitum esset si constaret vel probabiliter crederetur de eius inconstantia, vel si quid aliud esset huiusmodi, quae diligenter considerantur in religionibus bene institutis. » (*Quodlib. 3. a. 11.*) Atque canon 571. § 2 statuit: « Exacto noviciatu, si iudicetur idoneus, novicius ad professionem admittatur, secus dimittatur; si dubium supersit sitne idoneus, potest a Superioribus maioribus probationis tempus, non tamen ultra sex menses, prorogari. »

#### § IV. - OBLIGATIO INGREDIENDI RELIGIONEM.

1186. — Regulae. I. *Per se* nemo tenetur ingredi religionem. Ratio est quia consilia evangelica ut sic non obligant; secus enim naturam consiliorum exuerent. (n. 78.)

II. *Per accidens* vero pro aliquo haberi potest obligatio ingrediendi religionem, ut si quis voto sese adstrinxerit ad religionis ingressum.

1187. — Quaestiones. QUAER. 1º *An et quomodo peccet qui se a Deo vocatum putet ad Religionem, si vocationi suae OBSEQUI NEGLIGAT.*

*Resp.* Ob periculum aeternae salutis, cui se committit, non potest ab aliqua culpa excusari. Quinimo, si quis crederet quod in saeculo manens damnationem incurreret, tum ob fragilitatem suam, quam inter saeculi occasiones expertus est, tum ob inopiam auxiliorum, quae in Religione haberet, non potest excusari a peccato gravi, cum in grave discrimen salutis suaee se coniciat.

Num autem sit in malo statu conscientia eorum, qui moraliter certi de vocatione Dei ad Religionem, nituntur sibi persuadere se salutem suam aequa facile consequi posse manendo in saeculo, vel in illud redeundo? Non videtur dubitandum quin isti magno discrimini salutis se exponant; quia vivendo in saeculo contra Dei vocationem, sese privant specialibus illis auxiliis gratiae, quae in Religione Deus ipsis praeparavit, quibusque destituti, licet auxiliis ordinariis salvari possint, reapse tamen difficulter saeculi tentationibus resistent et salutem adipiscuntur. Deinde, si peccat graviter, ut communiter tradunt DD., quisquis alium a vocatione abducit, propter damnum quod illi infert, quomodo excusari poterit ille, qui sibi ipsi tale damnum infert? « Caeterum, inquit S. Alf., nolo in hoc puncto absolutum iudicium proferre; sapientibus illud remitto. » (n. 78.)<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Legantur gravia monita S. Alfonsi contra divinae vocationis desertores loc. cit. v. *Caeterum.* Legi utiliter quoque possunt de vocatione religiosa opuscula S. Alfonsi, quorum titulus: *Consilia de vocatione religiosa et Considerationes pro iis, qui ad statum religiosum vocati sunt.*

QUAER. 2º *Ad quid teneatur, qui vovit Religionem.*

*Resp.* 1º Qui vovit Religionem *generaliter*, voto satisfacit, quamcumque ingrediatur, etiam cum votis simplicibus, modo in ea vigeat disciplina regularis, saltem quoad observantias principaliores. Quodsi non recipiatur in unam Religionem, debet sollicitare ingressum in aliam; sed non tenetur ingressum quaerere extra patriam, nisi forte id intenderit.

2º Qui autem vovit aliquam Religionem *specialiter*, tenetur in illam ingredi; sed potest aliam strictiorem praeferre, cum hoc sit melius. Cum autem non recipitur in Religionem, quam ingredi vovit, non tenetur petere admissionem in aliam; quia in eius voto inclusa est tacita conditio: *si admittar*; nisi generalis fuerit eius animus Religionem quoquomodo amplectendi.

3º Qui Religionem *absolute* vovit, non solum *ingredi* debet, sed etiam in ea permanere ac *profitteri*: nam votum Religionis non solum obligat ad suscipiendum habitum religiosum, verum etiam ad serviendum Deo in Religione toto vitae tempore. Excipe tamen, si iusta causa excuset egressum ante professionem; puta si Religionem inveniat viribus suis imparem, aut ibi beate se victurum non esse *praevideat*. Quodsi can. 571. § 1 concedit Novitiis ut possint pro libitu Religionem deserere, intelligitur de iis qui experiendi solum gratia ingrediuntur, nullo praemisso voto, aut cum voto sed *animo experiendi* tantum. Qui vovit non modo ingredi, sed *profitteri*, non potest exire, nisi tantam experietur difficultatem, ut Religionis iugum moraliter ferre non valeat. — Tenetur quoque ingressus operam dare ne culpa sua a Religione repellatur. (n. 72. H. A. tr. 5. n. 34. S. Thom. 2. 2. qu. 189 a. 3. et 4.)

QUAER. 3º *Ad quid teneatur, qui vovit Religionem, si e Novitiatu dimittiatur.*

*Resp. Dist.* Si culpa sua dimittatur, tenetur mediocrem adhibere diligentiam ut se corrigat et denuo recipiatur in eamdem vel in aliam Religionem.

Si sine culpa repellatur, ob impedimentum temporarium, tenetur, eo cesseante, se rursus offerre, si probabilis appareat spes admissionis; secus, si ob impedimentum perpetuum; tunc solitus est voto. Quodsi voverit etiam profiteri, tenetur mediocrem diligentiam apponere ut in aliam Religionem recipiatur, dummodo tamen repulsus non sit ex causa impediente ingressum in quamvis aliis. (n. 72.)

NOTA. Quandonam peccet graviter, qui votum Religionis emissum differt exsequi, vide supra n. 485. Quomodo votum religionis sit aliquando reservatum vide pariter supra n. 497.

## Articulus II.

### Probatio subiecti.

Nullus candidatus in religionem per professionem religiosam admittitur nisi prius fuerit probatus in domo novitiatus; cui novitiatui aliquando postulatus praecedat necesse est. Quare de utroque dicemus.

#### § I. - POSTULATUS.

1188. — *Notio et necessitas.* Postulatus definiri potest tempus quoddam probationis, quam in religionibus a votis perpetuis mulieres omnes,

) et, si agatur de religione virorum, conversi, antequam ad noviciatum admittantur, subire debent, quaeque etiam in religionibus a votis temporariis a constitutionibus praescribi potest. (Cfr. can. 539. § 1.)

**Tempus postulatus.** Candidati supradicti si agatur de religione a votis perpetuis, postulatum ad sex saltem integros menses peragant; in religionibus vero a votis temporariis standum est constitutionibus. Superior vero maior praescriptum postulatus tempus potest prorogare; non tamen ultra aliud semestre. (can. 539. § 1 et 2.)

**1189. — Modus peragendi postulatum.** I. Postulatus peragi debet vel in domo noviciatus vel in alia religionis domo in qua disciplina secundum constitutiones accurate servetur sub speciali cura probati religiosi. (canon 540. § 1.)

II. Postulantes vestem induant modestam ac diversam a veste novitiorum. (can. 540. § 2.)

III. In monasteriis monialium adspirantes, dum postulatum peragunt, lege clausurae tenentur. (can. 540. § 3.)

IV. Postulantes, antequam noviciatum incipiunt, exercitiis spirituilibus vacent per octo saltem integros dies; et, iuxta prudens confessarii iudicium, praemittant generalem anteactae vitae confessionem. (can. 541.)

## § II. - NOVITIATUS.

Ad nostrum scopum dicemus tantum de notione noviciatus, de requisitis ad eius validitatem atque de bonis temporalibus novitiorum.

**1190. — Notio noviciatus.** Noviciatus definiri potest probationis tempus quod quisvis candidatus religionis in domo ad hoc destinata sub speciali cura Magistri immediate ante professionem peragere debet, ut vitae religiosae onera experiatur atque e converso religio candidati qualitates melius dignoscere eumque vitae religiosae obligationibus initiare possit. Unde etiam novitius potestati Magistri ac Superiorum religionis subest eisque obedire tenetur. (can. 561. § 2.)

Noviciatus autem variis modis a postulatu differt, inter quos enumerari possunt quod: 1º noviciatus *omnibus* imponatur; 2º in *habitu religioso* peragi soleat; 3º plures eius conditiones ad *validitatem* professionis requirantur.

**1191. — Requisita ad validum noviciatum.** E can. 555. § 1 noviciatus, ut valeat, peragi debet:

1º ab eo qui *valide* ad noviciatum *admissus* fuerit. Quinam autem invalidem ad noviciatum admittantur, diximus supra n. 1179 ad normam canonis 542.

- 2º post *completum decimum quintum* saltem aetatis annum;  
 3º per annum *integrum et continuum*;  
 4º in *domo novitiatus*.<sup>1)</sup>

NOTANDA. 1º Si *longrus tempus* in constitutionibus pro novitiatu praescribatur, illud ad validitatem professionis non requiritur, nisi in eisdem constitutionibus aliud expresse dicatur. (can. 555. § 2.)<sup>2)</sup>

Ut autem annus canonicus novitiatus qui de iure communi requiritur in hunc secundum transferri possit, requiritur indultum apostolicum.<sup>3)</sup>

2º Novitiatus **INCIPIT** susceptione habitus, vel alio modo in constitutionibus praescripto. (can. 553.) Attamen, in computando anno novitiatus primus dies ne computetur et tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri, ita ut qui novitiatum incepit die 29 Septembris, non prius quam die 30 Septembris (quavis hora) professionem temporariam valide emittere possit. (can. 34. § 3. 3º.) E contra, si agatur de votis renovandis, tempus finitur eodem recurrente die quo incepit; novus autem actus per *integrum diem* ponи potest. (can. 34. § 3. 5º.)

3º Novitiatus **INTERRUMPITUR**, ita ut denuo incipiendus ac perficiendus sit, si novitius, a Superiori dimissus, e domo exierit, aut domum sine illius licentia non reversurus deseruerit, aut extra domum, etsi reversurus, ultra triginta dies sive continuos sive non continuos permanserit quacumque ex causa, etiam de Superiorum licentia.<sup>4)</sup> (can. 556. § 1.)

Si novitius ultra quindecim, sed non ultra triginta dies etiam non continuos, de Superiorum licentia vel vi coactus extra domus septa permanserit sub Superioris obedientia, ad validitatem novitiatus necesse et satis est dies hoc modo transactos supplere; si non ultra quindecim dies, supplementum potest a Superioribus praescribi, sed non est ad validitatem necessarium. (can. 556. § 2.).

Superiores licentiam manendi extra septa novitiatus, nisi iusta et gravi de causa, ne impertiant. (can. 556. § 3.)

Si novitius a Superioribus in aliam novitiatus domum eiusdem religionis transferatur, novitiatus non interrumpitur. (can. 556. § 4.)

4º Integer novitiatus peragatur in *habitu* quem constitutionem pro novitiis praescribunt, nisi species locorum circumstantiae aliud exigant. (can. 556.)

5º In religionibus in quibus duae sunt sodalium classes, novitiatus pro altera classe peractus, pro altera non valet. (can. 558.)

**1192. — Bona novitiorum. I. QUOAD IPSORUM CESSIONEM.** In novitiatus decursu, si suis beneficiis vel bonis quovis modo novitius renuntiaverit eademve obligaverit, renuntiatio vel obligatio non solum illicita, sed ipso iure *irrita* est. (can. 568.)

1) Pro erectione domus novitiatus. cfr. can. 554.

2) De operibus Instituto propriis exercendis in secundo novitiatus anno salvis fundamentalibus novitiatus legibus. cfr. Instr. S. C. de Relig. 3 Nov. 1921. A. A. S. p. 539.

3) C. C. Int. 12 Febr. 1935. sub III. A. A. S. XXVII. (1935) p. 92.

4) Cfr. C. C. Int. 12 Nov. 1922. sub 2º; ex qua resolutione dicta confirmantur. (A. A. S. 1922. p. 661.)

5) Sub verbis *quacumque ex causa* comprehenditur etiam transitus in aliam novitiatus domum, de quo in can. 556. § 4; ita declaravit C. C. Int. 13 Iulii 1930 ad 1. (A. S. S. 1930. p. 365.) Hinc novitiatus in terrumpitur si novitius huius itineris causa ultra triginta dies extra novitiatus domum permanserit.

**II. QUOD IPSORUM ADMINISTRATIONEM, USUM ET USUFRUCTUM.**

1º Ante professionem votorum simplicium sive temporarium sive perpetuorum novitius debet, ad totum tempus quo simplicibus votis adstringetur, bonorum suorum administrationem *cedere cui maluerit*, et, nisi *constitutiones aliud ferant*, de eorundem usu et usufructu libere disponere. (can. 569. § 1.)

Dicitur: *nisi constitutiones aliud ferant*. Hinc constitutiones ante promulgationem Codicis probatae servandae sunt, sive novitiis admant ius disponendi de usu et usufructu suorum bonorum, sive hoc ius limitent seu praefiniant; prout declaravit C. C. Int. 16 Oct. 1919. (A. A. S. 1919. p. 476. ad 9.)

2º Ea cessio ac dispositio, si praetermissa fuerit ob defectum bonorum et haec postea supervenerint, aut si facta fuerit et postea alia bona quovis titulo abvenerint, fiat aut iteretur, secundum normas sub 1º statutas, non obstante simplici professione emissâ. (can. 569. § 2.)

**III. QUOD TESTAMENTUM CONDENDUM.** Novitius in Congregatione religiosa ante professionem votorum temporariorum testamentum de bonis praesentibus vel forte obventuris *libere condat*. (can. 569. § 3.)<sup>1)</sup>

*Articulus III.***Professio religiosa.**

**1193. — Notio et divisio.** Professio religiosa est contractus sacer, quo quis per emissionem votorum paupertatis, castitatis, et obedientiae, Deo et Religioni probatae se consecrat ac tradit, interveniente acceptatione et mutua obligatione Religionis nomine Dei.

Haec professio est: 1º aut *perpetua* aut *temporaria*, prout vota in perpetuum aut ad tempus tantum emittuntur, elapso tamen tempore continuo renovanda. (Cfr. can. 577. § 1.) Professio temporaria est aut *prævia* ad professionem perpetuam, aut semper *ad tempus* tantum *renovanda*;

2º est aut *simplex* aut *sollemnus*, prout vota emissâ sunt simplicia vel sollemnia. (cfr. supra n. 1177. 1º.) Professio temporaria semper est simplex. Simplex professio, temporaria sit vel perpetua, actus votis contrarios reddit illicitos, sed non invalidos, nisi aliud expresse cautum fuerit; professio autem sollemnus, si sint irritabiles, etiam invalidos. (can. 579. infra m. 1196.)

**1194. — Requisita ad validitatem religiosae professionis. I.** Ad validitatem *cuiusvis* religiosae professionis e can. 572 requiritur ut:

1º Qui eam emissurus est, *legitimam aetatem* habeat; id est, oportet ut decimum sextum aetatis annum expleverit, si de temporaria professione agatur; vicesimum primum, si de perpetua sive sollemni, sive simplici. (Cfr. can. 573.)

<sup>1)</sup> Cfr. N. K. S. 1919. p. 241.

2º Eum ad professionem *admittat legitimus Superior secundum Constitutiones;*

3º *Noviciatus validus praecesserit;* (can. 555; supra n. 1191.)

4º *Professio sine vi aut metu gravi aut dolo emittatur;*

5º *Sit expressa;*

6º A *legitimo Superiore secundum Constitutiones per se vel per alium recipiatur.*

Quando autem in Constitutionibus alicuius Congregationis religiosarum iuris pontificii in formula professionis nulla fit mentio Antistitiae, Episcopus vel eius Delegatus habendus est legitimus Superior secundum Constitutiones ad professionem recipiendam, tamquam habens legitimum mandatum. Ita C. C. Int. 1 Martii 1921. (A. A. S. p. 178.)

II. Ad validitatem vero professionis PERPETUAE sive sollemnis sive simplicis, requiritur insuper ut praecesserit professio simplex temporaria ad normam can. 574 nunc tradendam. (can. 572.)<sup>1)</sup>

**1195.** — *Necessitas professionis praeviae temporariae.* I. In quolibet Ordine tam virorum quam mulierum et in qualibet Congregatione quae vota *perpetua* habeat, novitus post expletum noviciatum, in ipsa noviciatus domo debet votis perpetuis, sive sollemnibus, sive simplicibus, praemittere votorum simplicium professionem ad *triennium* valitaram, vel ad longius tempus, si aetas ad perpetuam professionem requisita longius distet, nisi constitutiones exigant annuales professions. (can. 574. § 1.)

In Institutis votorum simplicium in quibus vota emittuntur sub hac vel simili conditione apposita: «Donec in Congregatione vivam», ita ut alumnus sive sponte discedat sive a Superioribus dimittatur, ipso facto a votis liber evadat, huic professioni non debet praemitti triennium votorum temporariorum; ita declaravit C. C. Int. 1 Martii 1921. (A. A. S. p. 177.)

II. Tempus triennii legitimus Superior potest, renovata a religioso temporaria professione, *prorogare*, non tamen ultra aliud triennium. (canon 574. § 2.)

III. Sollemniter professus aut professus a votis simplicibus perpetuis, si *transierit* ad aliam religionem cum votis sollemnibus vel simplicibus

<sup>1)</sup> Notes autem Decretum S. C. de Relig. *Inter reliquas.* (1 Ian. 1911. A. A. S. p. 37.) vi cuius iuvenes quos exemptos esse certo non constet a servitio militari activo, nequibant admitti ad professionem perpetuam; neque expleto servitio, nisi saltem per annum in votis simplicibus permanissent; ad vota autem temporariae admitti tantum poterant usque ad tempus militaris servitii. Porro, die 15 Iulii 1919 S. C. de Relig. declaravit decretum hoc post Codicis promulgationem adhuc vigere et vota temporaria absoluta noviciatu non debere emitti ad triennium sed valitura usque ad servitium militare; vota autem haec cessare eo die quo Religiosus effective adscriptus et disciplinae militari subiectus evadit, vel inhabilis ad militiam absolute et in perpetuum declaratur. Cfr. A. A. S. 1919. p. 321. Ex dictis sequitur si servitium militare non absolute condonetur, sed mere prorogetur seu retardetur, sine induito apostolico ad professionem perpetuam admitti haud posse. Cfr. *Apollinaris.* 1928. p. 71. Servitio autem expleto, tempus votorum ante servitium elapsum computatur ad triennium antemittendum votorum professioni perpetuae compendum, dummodo tamen post servitium per annum vota temporaria serventur, iuxta Statuta in Decreto *Inter reliquas* supra allegatum.

perpetuis, post novitiatum *praetermissa professione temporaria*, ad professionem sollemnem aut simplicem perpetuam admitti potest. (can. 634.)

**1196.** — *Effectus professionis.* QUILIBET PROFESSUS tenetur *obligationibus religiosorum* eo modo quo infra in cap. III exponetur. Dein, post annum ab emissâ qualibet professione religiosa, vacant *beneficia paroecialia*; post triennium cetera. (can. 584.) Insuper:

1º Quilibet professus a votis PERPETUIS, sive sollemnibus sive simplicibus, amittit ipso iure propriam quam in saeculo habebat dioecesim. (can. 585.)

2º SIMPLEX professio, *temporaria* sit vel *perpetua*, ut iam monuimus supra (n. 1193.) actus votis contrarios reddit illicitos, sed non invalidos, nisi aliud expresse cautum fuerit; professio autem SOLLEMNIS, si sint irritabiles, etiam invalidos. (can. 579.) Ita sollemnis professio ipso iure dissolvit matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam. (can. 1119.) Insuper invalide matrimonium attentant sollemniter professi: <sup>1)</sup> sicut etiam ii qui professi sint vota simplicia quibus ex speciali Sedi Apostolicae praescripto vis addita sit nuptias irritandi. (can. 1073.) Quoad effectus in ordine ad validam et licitam proprietatem et usum bonorum, vide infra, ubi dicitur de obligationibus ex voto paupertatis.

3º Professi a votis TEMPORARIIS in religione cum votis PERPETUIS:

a) Fruuntur iisdem indulgentiis, privilegiis et spiritualibus gratiis quibus gaudent professi a votis sollemnibus aut professi a votis simplicibus perpetuis: et si morte preeveniantur, ad eadem suffragia ius habent; (can. 578. 1º.)

b) Eadem obligatione tenentur observandi regulas et constitutiones, sed, ubi viget chori obligatio, divini officii privatim recitandi lege non obstringuntur, nisi sint in sacris constituti aut aliud Constitutiones expresse praescribant; (can. 578. 2º.)

c) Voce activa et passiva carent, nisi aliud in constitutionibus expresse cauteatur; tempus autem praescriptum ad fruendum voce activa et passiva, silentibus constitutionibus, computetur a prima professione. (can. 578. 3º.)

**1197.** — *Professio in periculo mortis.* Ex privilegio, per decretum *S. C. de Religiosis* die 10 Sept. 1912 omnibus religionibus concesso, novitius in periculo mortis potest facere ante finem novitiatus oblationem in Instituto usitatam in manibus Superioris domus sine temporis determinatione; *cum eo tantum effectu* ut particeps fiat omnium indulgentiarum, suffragiorum et gratiarum quae vere professi in hoc instituto decedentes consequuntur, una cum indulgentia plenaria in forma iubilaei; ita ut post eius mortem Institutum nulla eius bona temporalia sibi vindicare valeat; post vero convalescentiam novitius libere exire et dimitti possit; si vero non exeat nec dimittatur, tempus novitiatus explere et in fine oblationem emittere debeat. <sup>2)</sup> Hoc autem privilegium attentis can. 4 et can. 613.

<sup>1)</sup> Hinc praescriptum can. 576. § 2. vi cuius Superior professionem sollemnem excipiens propositis parochum baptismi de eadem certiore reddere debet, ut ad normam can. 470. § 2 professio in libro baptizatorum adnotetur.

<sup>2)</sup> Cfr. *Acta Ap. Sedis*. IV. p. 589-590. *Vermeersch. Periodica*. VI. p. 288; *N. R. Théol.* 1912. p. 737.

§ 1 post Codicis promulgationem in suo vigore permanere videbatur; atque ita diserte etiam declaratum fuit a S. C. de Religiosis 29 Dec. 1922, addito « quod facultas recipiendi professionem, praeter Superiorem monasterii aut domus novitiatus vel probandatus, intelligatur competere etiam ad respectivos Superiores maiores iuxta Constitutiones, et ad praedictorum omnium delegatos. » Cfr. A. A. S. 1923. p. 157; ubi etiam enumerantur quae observari oportet in easu.

## CAPUT IV.

### OBLIGATIONES RELIGIOSORUM

**1198.** — Religiosi, prout ex notionibus status religiosi et religionis supra (n. 1174 *sequ.*) traditis sequitur, debent tendere ad perfectionem christianam per observantiam non tantum mandatorum, omnibus fidelibus communium, verum etiam per observantiam votorum, regularum et constitutionum, legum demum ecclesiasticarum, prout istae obligationes religiosas accuratius determinant vel novas imponunt. Quare dicemus: 1º de obligatione tendendi ad perfectionem, 2º de observantia singulorum votorum, 3º de observantia regularum et constitutionum, 4º de aliquibus legibus ecclesiasticis quae religiosos respiciunt nec tamen in praecedentibus expositae fuere.

#### *Articulus I.*

##### **Obligatio tendendi ad perfectionem.**

**1199.** — **Obligatio cuiusvis religiosi.** Religiosus tenetur ex professione sua tendere ad perfectionem propriam sui status, fideliter atque integre vota quae nuncupavit observando vitamque suam secundum regulas et constitutiones componendo. (n. 9; can. 593.)

Hinc graviter peccat contra obligationem tendendi ad perfectionem: 1º si vota habitualiter infringere non recuset in materia gravi; 2º si Regulas ex contemptu formali praetermittat; 3º si apud se statuat perfectionem nullo modo curare. (n. 10.)

**1200. — QUAERITUR.** *An graviter peccet Religiosus, qui vult quidem servare vota et praecepta sub gravi obligantia, cætera autem statuit non curare, sed libere transgredi.*

*Resp.* Communius et probabilius negatur; quia Religiosus paratus servare praecepta respectu sui gravia, quae respectu aliorum fidelium sunt mera consilia, aliquo modo videtur tendere ad perfectionem.

Interim Religiosus ita dispositus ex aliis causis a gravi peccato difficillime excusabitur; tum propter periculum transgrediendi vota, tum ob scandalum, tum propter grave damnum Religioni imminens ex disciplinae relaxatione; quae omnia eiusmodi Religiosus evitare vix poterit.

**1201.** — Obligationes Superiorum hac in re. Superiores non tantum debent tendere ad perfectionem propriam modo supra descripto, verum etiam subditorum suorum in perfectionem tendentiam procurare, tum exemplo, tum corrigendo eorum defectus, tum promovendo positive studium perfectionis atque usum mediorum quae observantiam votorum et regularum possibilem reddunt.

Hinc vi canonis 595: 1º Superiores curare debent ut omnes religiosi: *a)* quotannis spiritualibus exercitiis vacent; *b)* legitime non impediti quotidie Sacro intersint, orationi mentali vacent et in alia pietatis officia, quae a regulis et constitutionibus praescripta sint, sedulo incumbant; *c)* ad Poenitentiae sacramentum semel saltem in hebdomada accedant. Quoad confessarios vero religiosorum vide tractatum de sacramento Poenitentiae atque can. 518-529 et 566. Hic tantum notentur praescripta canonis 530: Omnes religiosi Superiores districte vetantur personas sibi subditas quoquo modo inducere ad conscientiae manifestationem sibi peragendam. Non tamen prohibentur subditi quominus libere ac ultro aperire animum suum Superioribus valeant; imo expedit ut ipsi filiali cum fiducia Superiores adeant, eis, si sint sacerdotes, dubia quoque et anxietates suaे conscientiae exponentes.

2º Superiores suos inter subditos promoveant frequentem, etiam quotidianam, sanctissimi Corporis Christi receptionem; frequens autem, imo etiam quotidianus accessus ad sanctissimam Eucharistiam religiosis rite dispositis libere pateat.

3º Si autem post ultimam sacramentalem confessionem religiosus communati gravi scando fuerit aut gravem et externam culpam patraverit, donec ad Poenitentiae sacramentum denuo accesserit, Superior potest eum, ne ad sacram communionem accedat, prohibere.

4º Si quae sint religiones votorum sive sollemnium sive simplicium, quarum in regulis aut constitutionibus vel etiam calendariis communiones aliquibus diebus affixaе aut iussae reperiantur, hae normae vim dumtaxat directivam habent. (can. 595.)

**NOTA.** Huc quoque referri possunt quae Codex statuit de residentia Superiorum, de promovenda notitia decretorum S. Sedis, de lectione publica regularum et constitutionum, itemque decretorum quae publice legenda S. Sedes prescribet; de instructione catechetica conversorum et piis exhortationibus; atque de visitatione. (Cfr. can. 508. 509. 511 *sequi*.)

**1202. — QUAERITUR.** *An Praelatus aliquando peccet graviter, negligendo defectus leves subditorum corrigere.*

**Resp.** *Affirm.*, quando defectus multi sunt, et eiusmodi, ut disciplinam relaxare valeant, uti sunt silentii solutiones, omissiones orationis, ieuniorum, etc.; quia, licet quisque Religiosus non deficiat in re gravi, levem Regulam transgre-  
diendo, Superior tamen negligens impedire, cum possit, observantiae relaxationem,

deficit in re gravi. Quare tenetur defectus subditorum, in damnum totius Communitatis vergentes, non solum corrigere, sed etiam inquirere, prudenter tamen et sine nimia sollicitudine. Expedit autem ut aliquando dissimulet, si defectus scandalum non afferant, vel si praevideat subditum ex correptione peiorem evasurum, vel si tempus opportunius sit exspectandum. *Ita communiter.*

Quod dictum est de Superiore, valet quoque pro eo, qui officio fungitur Zelatoris, si nimis negligat Superiorum certiorem facere de defectibus, quos observat. (n. 13. H. A. n. 2.)

**1203. — Superiorum creatio.** Ad Religiosorum perfectionem plurimum prodest dignos Superiores ipsis praepositos esse; quare de eorum creatione praecipua postulata exponere opportunum censuimus. Itaque duo statuimus:

I. Ad Praelaturas eligendos esse, non solum dignos, sed inter dignos dignissimos omnino affirmandum est cum sententia communi, contra paucos. Ratio est, quia Praelati Regulares eamdem habent, quam Episcopi, obligationem incumbendi bono communitatis et subditorum; sunt enim subditorum quasi Episcopi. Porro Praelati minus digni minus diligenter minusve prudenter fervorem subditorum fovebunt regularemque observantiam integrum servabunt: unde facile observantiae relaxatio sequi potest cum damno gravissimo, nam experientia constat abusus semel in aliqua Religione introductos difficillime aboleri. Ideo graviter peccant qui notabiliter minus dignos eligunt.

Haec doctrina recte extenditur ad electionem diffinitorum, consultorum, procuratoris generalis, et similium. (n. 100 et 101. H. A. n. 35.) Quoad vero Superiores maiores in religionibus virorum res confirmatur canone 506. § 1, ubi statuitur: « Antequam ad Superiorum maiorum electionem deveniatur in religionibus virorum, omnes et singuli e Capitulo iureiurando promittant se electuros quos secundum Deum eligendos esse existimaverint. » Cfr. quoque canonem 153. § 2.

II. Ad Superiores creandos, qui subditos suos bene regant, hae dotes in illis requiruntur: 1º *Scientia non vulgaris* tum vitae spiritualis, tum Regulae et spiritus Instituti; ut valeant mores subditorum secundum illa recte moderari. 2º *Charitas paterna* erga omnes subditos suos, qua eorum amorem, fiduciam, obedientiam et sinceritatem sibi concilient; agendo enim ut patres experientur subditos ut filios. Memores itaque sint Eccli. xxxii. 1: « Rectorem te posuerunt? noli extolli; esto in illis quasi unus ex ipsis. » Huc spectat specialiter ut providam curam impendant omnibus, in rebus spiritualibus et temporalibus, eaque omnia, quibus indigent, liberaliter suppeditent, non solum rogati, sed etiam petitionem interdum praeveniant. 3º *Fortitudo*, ut cum zelo observantiam regularem tueantur, ita ut nulla relaxatio, nullus abusus irrepat. 4º *Prudentia* ut neque benignitas neque severitas modum excedat. 5º *Vita exemplaris*: quia bona exempla

fortius quam monita subditos movent ad bonum. Cfr. Lancicius. *tom. 2. opusc. 12.* S. Alfons. *Corresp. gen. epist. 539. 771.* *Vera sponsa. cap. 23. n. III. V-VII.*

### *Articulus II.*

#### *Observantia voti paupertatis.*

Expendemus: 1º quae sit materia religiosae paupertatis; 2º qualis licentia in Religioso requiratur ad licitum usum rerum; 3º quid sentiendum sit de vita communi; 4º quid de exclusione superflui.

#### § I. - MATERIA PAUPERTATIS.

**1204.** — *Materia remota et proxima.* *Materia remota* sunt divitiae seu bona temporalia pecunia aestimabilia; quae quidem sunt materia *necessaria* religiosae paupertatis. *Materiae proxima* sunt actus dominii, e. g. proprietas, possessio, ususfructus, usus, administratio, et quaelibet dispositio, proprio iure seu propria auctoritate exercita. Quocirca statuimus quae sequuntur:

**1205.** — *Materia proxima voti sollemnis.* Religiosi voto *solemni* paupertatis obstricti, privatim nihil habere proprium possunt, nec ulla re tamquam propria uti, aut de ulla re tamquam propria disponere: quinimo sunt inhabiles ad dominium, ideoque ad quemlibet proprietatis actum. (can. 579.)

Dixi: 1º *nihil proprium*, i. e. nullius rei temporalis pecunia aestimabilis proprietatem, seu dominium. Unde retinent dominium famae et honoris, possidere possunt ius eligendi, titulum beneficii, iurisdictionem, etc.

2º *Nulla re tamquam propria uti, et de nulla re tamquam propria disponere*, i. e. nulla re temporali uti licite possunt, sine Superiorum licentia; et sine hac nihil accipere, retinere, donare, permutare, commodare, mutuare, absumere possunt sine peccato mortali vel veniali pro ratione materiae.

3º *Nihil proprium PRIVATIM*: Communitates enim religiosae omnes, exceptis domibus Fratrum Minorum de Observantia et Capuccinorum, bona tum mobilia tum immobilia possidere possunt. Cfr. Trid. sess. 25. cap. 2. et 3. de Regul.

4º *Inhabiles sunt ad dominium*: casu tamen excepto, quo S. Pontifex gravissima de causa, hunc effectum sollemnitas per dispensationem auferat. Qua de re Codex haec duo statuit:

a) *ANTE PROFESSIONEM SOLLEMNEM*: Professus a votis simplicibus antea nequit valide, sed intra sexaginta dies *ante professionem sollemnem*, salvis peculiaribus indultis a Sancta Sede concessis, debet omnibus bonis quae actu habet, cui maluerit, sub conditione secuturae professionis, renuntiare. (can. 581. § 1.)

b) *POST PROFESSIONEM SOLLEMNEM*: ea omnia statim fiant, quae necessaria sunt ut renuntatio etiam iure civili effectum consequatur. (can. 581. § 2.) Dein, salvis pariter peculiaribus Apostolicae Sedis indultis, omnia bona quae quovis modo obveniunt regulari: 1º In Ordine capaci possidendi, cedunt Ordini vel pro-

vinciae vel domui secundum constitutiones; 2º In Ordine incapaci, acquiruntur Sanctae Sedi in proprietatem. (can. 582.)

NOTA. Ex indulto S. Sedis utriusque sexus sollemniter professi in Belgio et Hollandia valent, cum debita dependentia a Superioribus, bona quae ad ipsos pervenerint acquirere, retinere, administrare et de iis in pios honestosque usus disponere. (Resp. S. Poen. 1 Dec. 1820; Indultum Leonis XIII 31 Iulii 1878.)<sup>1)</sup>

**1206.** — Materia proxima voti simplicis. Votum *simplex* paupertatis religiosae non privat *iure* dominii, sed prohibet omnem *actum* domini propria auctoritate, seu independentem a Regula vel a Superioribus, perinde ac si nullum dominum haberetur. Religiosa enim paupertas consistit cumprimis in abdicatione usus et dispositionis liberae bonorum; quia commodity divitiarum, non ex dominio ligato, sed ex libero usu et libera dispositione oriuntur; manet autem in eiusmodi Religiosis dominium bonorum suorum ita paupertatis votum ligatum, ut quaelibet alienatio, vel renuntiatio, aut dispositio, et quicumque eorum usus illis non magis liceat quam sollemniter professis. (Lugo. *De iustit. disp.* 3. n. 77. 86.)

Retinetur porro dominium nudum in iis Religionis eo potissimum fine, ut Institutum cum maiori libertate possit illos dimittere, quando necesse fuerit, ut dixit Greg. XIII in Constit. *Ascendente Domino*. (Lugo. *loc. cit. n.* 89.) Hodie et alius finis accessit, ad difficultates nempe vitandas ex legibus civilibus oriundas, eo quod societas civilis vota religiosa non agnoscat.

Ad praedictos fines necesse est ut Religiosi retinere possint dominium eorum bonorum, quae ad patrimonium spectare videntur. Haec autem sunt: 1º ea quae ante professionem habeant; 2º ea quae a parentibus, a propinquis, sive ab intestato, sive ex testamento, sive ex donatione accipiunt; quando nimis eiusmodi bona talia sunt, quae non ad statim expendendum relinquuntur vel dentur, sed ad augendum patrimonium seu capitale; 3º eodem modo ea quoque, ut vindetur, quae cum licentia Superioris ab amicis accipiunt: dummodo nempe ea dentur non titulo status religiosi, sed titulo mere saeculari; quia tunc ad patrimonium augendum data censentur; 4º redditus eorum bonorum; quia sine ulla acceptatione fiunt domini fundi. Ita Lugo. *loc. cit. n.* 83. 90. et 91. Sanch. *de relig. lib. 7. cap. 18. n. 28*; sed magis restrictive, Suar. *tr. 10. lib. 4. cap. 4. n. 5. 6.*

Porro, iuxta haec principia circa votum simplex Codex statuit quae sequuntur:

1º QUILIBET PROFESSUS A VOTIS SIMPLICIBUS, sive perpetuis sive temporariis: a) nisi aliud in constitutionibus cautum sit, conservat *proprietatem* bonorum suorum et capacitatem alia bona *acquirendi*, salvis praescriptis supra (n. 1192) traditis circa cessionem administrationis et dispositionem de bonorum usu et usufructu; b) quidquid autem *industria sua* vel *intuitu religionis* acquirit, religioni acquirit; c) cessionem *administrationis* et dispositionem de *usu ac usufructu* professus *mutare* potest, non

<sup>1)</sup> Textum utriusque documenti videsis apud Vermeersch. *de Religiosis Institutis et personis.* II. p. 292-294; vel apud: *Comment. pro religiosis.* 1924. p. 378 *sequi.* 1927. p. 119-21, ubi etiam ipsorum explicatio.

quidem proprio arbitrio, nisi constitutiones id sinant, sed de supremi Moderatoris licentia, aut, si de monialibus agatur, de licentia Ordinarii loci et, si monasterium regularibus obnoxium sit, Superioris regularis, dummodo mutatio, saltem de notabili bonorum parte, non fiat in favorem religionis; per discessum autem a religione eiusmodi cessio ac dispositio habere vim desinit. (can. 580.) Insuper:

2º Professus a votis simplicibus IN RELIGIONE CUM VOTIS SOLLEMNIBUS observet ea quae diximus supra (n. 1205) circa renuntiationem bonorum ante professionem sollemnem. Cfr. can. 581.

3º Professis a votis simplicibus IN CONGREGATIONIBUS RELIGIOSIS non licet: a) per actum inter vivos dominium bonorum suorum *titulo graticoso abdicare*; b) *testamentum* conditum ad normam can. 569. § 3 (Cfr. supra n. 1192. III.) *mutare* sine licentia Sanctae Sedis, vel, si res urgeat nec tempus suppetat ad eam recurrendi, sine licentia Superioris maioris aut, si nec ille adiri possit, locali. (can. 583.) Ex diserto responso C. C. Int. 15 Maii 1936 licentia S. Sedis etiam requiritur ut professus cessionem vel dispositionem saltem de notabili bonorum parte in favorem religionis mutare possit.<sup>1)</sup>

**1207. — Gravitas obligationis.** Communis et vera sententia docet, eam quantitatem, quae sufficit ad peccatum mortale furti, sufficere etiam ad peccatum mortale proprietatis; quia hoc proprietatis peccatum se habet instar furti; sicut enim in furto res usurpatur invito domino, ita in peccato proprietatis res usurpatur invito Superiore, cui per votum paupertatis omnem rerum usum et dispositionem Religiosus subiecit.

Sunt tamen observanda: 1º Gravitas contra *iustitiam in furto* ex bonis Monasterii pensanda non est secundum quantitatem petitam ad furtum mortale filiorum; quia filii sunt necessarii bonorum paternorum haeredes, et Superiores Religiosi multo magis sunt inviti quam parentes propter detrimentum spirituale subditorum. Maior tamen quantitas requiritur quam in aliis furtis. Generali loquendo, tamquam materia gravis statui potest ut reor, summa 20 francorum. <sup>2)</sup> — In esculentis et poculentis valet regula tradita pro furtis famulorum. (n. 24. 25. H. A. n. 10.)

2º Materia gravis contra *votum* intelligi debet de materia sufficienti *ex se* ad furtum mortale, seclusis circumstantiis; quia in peccato proprietatis potius attenditur actus dominii, quam damnum illatum. (Lugo. *De iust. disp.* 3. n. 170. 171. Palaus. *tr.* 16. *disp.* 3. *p.* 20. Rodriguez. *loc. cit. cap.* 14. Holzmann. *De praecc. partic.* n. 595.) Quocirca plures assignant summam 10 francorum <sup>3)</sup> uti materiam gravem; quae sententia probabilis videtur.

3º Quantitas in se notabilis *non semper* satis est ad mortale proprietatis peccatum; quia, si res magni valoris ad solum *temporarium usum* usurpetur, postea reddenda, culpa regulariter venialis erit. Item, si Religiosus pecuniam

<sup>1)</sup> A. A. S. 1936. p. 210.

<sup>2)</sup> Ita auctor, attento valore quem tunc temporis pecunia habebat. Cfr. dicta supra n. 717, de summa ista augenda vel multiplicanda pro temporum locorumque circumstantiis.

<sup>3)</sup> Recole dicta in nota praecc.

ab extraneis accipiat *ad erogandum aliis*, plures assignant pro materia gravi va-  
lorem 60 francis maiorem. (*n.* 24 *in fine.*)

4º Peccatum proprietatis in Religioso plerumque habet duplēcē malitiam,  
sacrilegii scilicet et iniustitiae. (*n.* 24. 25. H. A. *n.* 10.)

1208. — **Resolutiones.** Peccat Religiosus contra votum paupertatis: 1º Si  
a Conventu vel ab externis quidquam pro seipso accipiat, retineat, absumat,  
sine Superioris licentia.

2º Si apud externos comedat aut bibat, sine Superioris permissu; quia Reli-  
giosus abdicavit a se omnem rerum usum sine Superioris facultate. Ita Sanch.  
*lib.* 7. *cap.* 19. *n.* 53. Suar. *De Relig.* *lib.* 8. *cap.* 11. *n.* 41. 42. Laym. *lib.* 4. *tr.* 5.  
*cap.* 7. *n.* 4. Castrop. *part.* 3. *tr.* 16. *disp.* 3. *p.* 21 et alii communiter. (*n.* 17.)

3º Si res in usum obtentas in alios usus expendat, quam sibi permisso, aut  
retineat ultra tempus a Superiore praefixum; si culpabiliter eas destruat, amittat,  
deteriores efficiat; solum enim habet usum *facti*<sup>1)</sup>, eumque precarium, quandiu  
et quomodo Superiori videatur. (*n.* 19.)

4º Si quid, quod cum licentia habet, abscondat, ut illud liberae Superioris  
dispositioni subducat; hoc enim est velle *conservare* independenter a Superiore.  
*Ita communiter.* (*n.* 28. H. A. *n.* 7.)

5º Si quid, sine Superioris facultate, mutuum vel commodatum accipiat, aut  
det alteri. In rebus tamen parvis et crebro occurrentibus censetur esse facultas  
tacita vel generalis, ut, saltem ad breve tempus, Religiosi eiusdem Conventus  
sibi invicem aliquid commoden; cum talis sit consuetudo. (*n.* 17. Sanch. *n.* 65.  
Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *n.* 78.)

6º Si Procurator, oeconomus, administrator, aliasve officialis, quidquam  
expendat contra statuta vel consuetudinem Ordinis, vel voluntatem Superioris.  
(*n.* 28.)

7º Si iter agens divertat ad alia loca extra rectam viam, ad res curiosas invi-  
sendas; nisi forte modicae sint expensae, et in casu improviso licentia Superioris  
certo praesumi possit. — Idem dicendum, si sine facultate Superioris quidquam  
emat, etiam pro Communitate.

8º Professus vota simplicia, qui dominium acquirit vel de bonis propriis  
disponit omnino propria auctoritate et voluntate, et non secundum Regulam  
vel voluntatem Superioris; quia votum paupertatis religiosae omnino requirit  
abdicationem *usus et dispositionis proprietariae bonorum omnium*. (Suar. *tr.* 10.  
*lib.* 4. *cap.* 6. *n.* 2.)

Non peccat contra votum paupertatis: 1º Si acceptet aliquid aut donet sub  
conditione licentiae obtainuae, dummodo res recuperari possit, si negetur li-  
centia; quia actus tunc suspenditur.

2º Si sine licentia *expressa* faciat donationes *remuneratorias* ex bonis sibi  
concessis ad usum; quia tales donationes sunt quasi debiti solutiones. Imo po-  
test plus dare, quam ab alio accepit, usque ad excessum quartae partis; quia  
postulat gratitudo ut semper plus reddatur, quam acceptum sit. (*n.* 21.)

3º Si pauperi magna paupertate laboranti succurrat ex bonis Monasterii,  
quando aditus ad Superiorum non patet; vel si quid esculenti aut poculenti det  
pauperibus; quia in his Praelatus praesumitur consentiens. (*n.* 23.)

<sup>1)</sup> Duplex est usus: usus *iuris*, est ius utendi re proprio nomine seu propria voluntate; usus *facti*, est  
rei usus voluntate et nomine Superioris. Similiter duplex est administratio.

**1209. — Quaestiones.** QUAER. 1º *Quomodo differant VOTUM et VIRTUS paupertatis.*

*Resp.* Votum respicit tantum actus proprietatis et usum superflui; virtus vero cordis affectum erga divitias. Votum quippe Religiosum proprietate et superfluo exspoliat; virtus autem affectum a bonis temporalibus avellere intendit, ut ad aeterna transferat. Votum igitur est medium acquirendae virtutis. Exinde consequitur, virtutem latius patere quam votum, ideoque, quoties votum infringitur, simul virtutem laedi, non contra. Praeterea, religiosus non tenetur ad summam virtutem contendere, sed ad eam tantum, ad quam fidelis votorum et regulae observantia eum provectura est.

QUAER. 2º *An MANUSCRIPTA sint propria Religiosorum.*

*Resp. Dist.* 1º Religiosus habere potest dominium plenum manuscriptorum quorumvis nullius valoris venalis; quia non sunt res pretio aestimabiles ideoque nec materia voti.

2º Quorumvis aliorum manuscriptorum *alicuius valoris venalis* habere potest etiam dominium plenum vel saltem usum illimitatum, exceptis casibus mox excipiendis, idque saltem ex consuetudine vel tacito Superiorum consensu.

3º Haec consuetudo vel hic tacitus consensus religioso non suffragatur si agitur: a) de mss. exaratis de mandato Superioris in bonum Religionis; b) de mss., post professionem exaratis, donandis vel alienandis, si hoc fit eo fine, ut evulgentur; c) de mss. pro quibus Superior, consuetudo, regula vel constitutiones aliter statuerint, uti forte de mss. valde pretiosis.<sup>1)</sup>

**NOTA.** Usus horum iurium in manuscripta, sive venalia, sive non venalia, remanet semper materia *obedientiae*, intra limites tamen regularum et constitutionum.

QUAER. 3º *An peccet contra votum paupertatis Religiosus, qui recusat sibi OBLATA AB EXTRANEIS?*

*Resp. Dist. Affirm.*, si recusat iam debita Monasterio, v. g. legata sibi reicta, mercedes laboribus debitas, dona iam acceptata; quia quidquid Religiosus acquirit, non sibi, sed Monasterio acquirit.

*Negat.*, si recusat munera sibi oblata; quia votum non obligat ad acquirendum. Attamen, si sine iusta causa recusat, peccat contra charitatem, impediendo bonum Instituti sui. *Ita communiter.* (n. 20.)

Similiter non est contra votum paupertatis, si Religiosus volentem sibi aliquid dare, rogat ut det alteri; quia eiusmodi petitio non est actus proprietatis. (Lugo. *De iustitia. disp.* 3. n. 166.)

QUAER. 4º *An sit contra votum paupertatis pecunias extraneorum accipere in DEPOSITUM, sine Superioris licentia.*

*Resp. Dist.* Communiter negant DD., si Religiosus eas recipiat tantum *in fidam custodiam*, quandiu dominus voluerit; quia non nisi obsequium praestat alteri. Est tamen contra paupertatis perfectionem, et plerumque contra Regulæ vetitum. Ita Sanch. *Decal. lib. 6. cap. 14. n. 27.* Suar. *De Relig. tr. 7. lib. 8. cap. 11. n. 45.* Lugo. *De iustit. disp.* 33. n. 6. Laym. *lib. 4. tr. 5. cap. 7. n. 4.* et alii.

Affirmant vero, si eas recipiat *sub contractu*: quia hoc facto Religiosus propria auctoritate init contractum onerosum, et gravem illam suscipit obligationem.

<sup>1)</sup> Cfr. A. A. S. V. p. 366. N. K. St. 1913. p. 289-292; Lehmkuhl. I. n. 676.

Ita Castrop. tr. 16. disp. 3. p. 21. n. 6. et disp. 4. p. 13. § 4. n. 3. Croix. lib. 4. n. 131. Salmant. tr. 15. cap. 7. n. 8. et alii.

QUAER. 5º *An contra votum paupertatis peccet Religiosus, qui sine Superioris licentia acceptat ab extraneo PECUNIAM IN PAUPERES IMPENDENDAM.*

*Resp. Dist. Negat.*, si extraneus designat pauperes, in quos pecunia distribuenda est, et quantitatem pecuniae cuilibet elargiendae; quia religiosus tunc est nudus minister, et instar famuli.

Si autem committitur Religioso utriusque vel alterutrius electio controvèrtitur. Nonnulli affirmat; quia omnis administratio pecuniae, ex voluntate Superioris non pendens, adversatur voto paupertatis. Ita Lohner. *Biblioth. man. tit. 112. § 11. in fine*, et quidam alii, ait Sanchez. *Decal. lib. 7. cap. 30. n. 3.*

Sententia communis negat; quia semper supponitur religiosus erogando eleemosynam agere nomine datoris, ideoque non est actus dominii; neque facultas illa eligendi actum dominii involvit, cum nihil iuris sit, sed meri facti. Potest tamen contra Regulam Ordinis sui delinquere. Ita Sanch. loc. cit. n. 4. Suar. cap. 15. n. 15. 16. Palaus. tr. 16. disp. 3. p. 22. n. 4. Salmant. tr. 13. cap. 6. n. 15. et 23. Laym. lib. 4. tr. 5. cap. 7. n. 16. Croix. lib. 4. n. 118. Azor. *Instit. mor. part. 1. lib. 12. cap. 10. Decimo.*

QUAER. 6º *Quid vero, si extraneus pecuniam Religioso tradit, ut pro arbitrio suo eam in pia opera expendat.*

*Resp.* Religiosus sic accipiens et erogans contra votum peccat; quia quaevis libera dispositio, independens a Superiore, est actus proprietatis. Ita S. Alfons. *Epist. 3. Octob. 1757. H. A. n. 7. Suar. De Relig. tr. 7. lib. 8. vap. 15. n. 16. Rodriguez. Prax. perfect. christ. part. 5. tr. 3. cap. 15.*

## § II. - LICENTIA REQUISITA AD LICITUM USUM RERUM.

1210. — Religiosus nulla re temporali uti potest sine Superioris licentia; cui enim dominium est prohibitum, prohibitus quoque est actus dominii: usus autem independens ab auctoritate alterius est actus dominii, solis competens dominis.

Porro licentia multiplex distinguitur: 1º *Generalis*, quae datur omnibus: v. g. pro usu vestium, quae a vestiario distribuuntur; pro esu ciborum, qui apponuntur in mensam communiter; pro usu supellectilis, quae in cubiculis reperitur, vel in publicis armariis. *Specialis*, quae conceditur uni, non alteri, prout Superior iudicat expedire. — Alio modo vocatur *generalis*, quae datur pro tempore continuo: *specialis*, quae conceditur pro actu occurrente.

2º *Expressa*, quae verbis aut scripto datur. *Tacita*, quae virtualiter continetur in aliquo actu expresso Superioris; v. g. in licentia expressa itineris virtualiter continetur quidquid pro itinere est necessarium. *Praesumpta*, quae non est actu data, sed arguitur danda a Superiore, si ab eo peteretur.

3º *Iusta*, quae non excedit potestatem Superioris; *iniusta*, quae eam excedit.

4º *Debita*, quae prudenter negari nequit; *indebita*, quae prudenter potest concedi aut negari.

Quod ad licentiam *praesumptam attinet*, *displacentia* Superioris de usu illius duplex distinguitur, nimirum alia *quoad substantiam actus*, quando ipsa actio

displacet Superiori, ita ut rogatus licentiam negaret: alia *quoad modum*, quando Superior approbat quidem actionem, sed aegre fert modum agendi, scilicet aver-sionem quam subditus habet a petendo licentiam.

**1211. — Principia. I.** *Nulli dubium est quin Religiosus debeat, quantum fieri potest, licentiam EXPRESSAM petere*, non solum ut perfectius operetur et maius meritum acquirat, verum etiam quia id postulant Regula et filialis subordinatio.

**II.** *Licentia TACITA sufficit ad salvandum votum: quia taciti et expressi eadem est virtus.*

Locum habet: 1º Cum Superior sciens subditum aliiquid accipere, retinere, aut expendere, non prohibet, cum facile posset. 2º Cum in aliquo Ordine viget consuetudo accipiendi res alias sine facultate expressa, connivente Superiore. 3º Cum Superior donat subdito, vel donari permittit, imagines, rosaria, numismata, etc., sciens ipsum eis non indigere ad usum proprium, censemur dare simul facultatem aliis distribuendi: monet tamen Lessius, id non censemur nisi in rebus minimi momenti crebro occurrentibus, praesertim in domibus, ubi viget disciplina. (n. 17. H. A. n. 11.)

**III. Licentiam PRAESUMPTAM:** 1º certum est sufficere cum res commode differri et Superior adiri nequit; quia tunc approbatio Superioris *rationabiliter* praesumitur tam *quoad substantiam* quam *quoad modum*. — Eo tamen casu postmodum, sublato impedimento, si res accepta consumpta non sit, tenetur subditus referre Superiori, propter retentionem: si vero sit consumpta, per se non eget expressa Superioris ratihabitione postea petita; quia usus rei fuit licitus. (n. 18.)

2º Usus licentiae praesumptae, quando subditus credit Superiorem invitum esse *quoad substantiam*, est peccatum proprietatis contra votum; quia tunc Religiosus propria auctoritate operatur, cum revera nulla adsit licentia.

3º Usus licentiae praesumptae, quando subditus prudenter iudicat Superiorem esse invitum *quoad modum*, est peccatum veniale contra regularem disciplinam.

Non est peccatum contra votum; quia Superior non est invitatus *quoad actum*, et subditus non operatur propria auctoritate, sed cum dependentia a voluntate Superioris; restat ergo ut peccatum veniale sit contra virtutem obedientiae. Excipe tamen, si quando Regula vel Superior stricto praecepto vetet usum licentiae praesumptae, quia tunc Superior esset invitatus *etiam quoad actum*.

Inde infertur actiones aliiquid accipiendi vel dandi ex licentia praesumpta, quando causa non urget, et Superior facile adiri potest, plerumque non vacare culpa; quia Superiorum tunc plerumque inviti sunt *quoad modum* si non *quoad substantiam*. (n. 18. H. A. n. 11.)

**IV. Licentia DEBITA, sed a Superiori INIUSTE NEGATA, non excusat a transgressione voti: nisi periculum gravis damni esset in mora: tunc enim**

praesumitur adesse consensus Superioris, et, si iste etiam licentiam negaret, potest aliquando prudenter iudicari, votum in tanto discrimine non obligare. « *Ipsa necessitas, inquit S. Thomas*<sup>1)</sup>, dispensationem habet adnexam, quia necessitas non subditur legi. » (n. 33. H. A. n. 12.) Cfr. n. 195. iv.

1212. — Notanda. 1º Licentiae non sunt facile praesumenda, nisi saltem certa probabilitas habeatur de Superioris approbatione; imo non suffragatur licentia praesumpta in rebus maioris momenti, utpote quod cederet in grave detrimentum religiosae paupertatis.

2º Non omnia, quae a Praelatis non prohibentur, ab ipsis tacite approbantur; cum saepe, ob timorem gravioris mali, cogantur plura tolerare, quae ipsis displicant. (n. 18.)

3º In his, quae ad paupertatem spectant, habenda est ratio disciplinae uniuscuiusque Ordinis; quod enim in uno permittitur, in alio saepe reprobatur; in strictioribus Ordinibus non admittuntur facultates quaedam generales et tacitae, quae in mitigatis tolerantur.

4º Quando Praelatus dat uni licentiam dandi, quamvis stricto iure requiratur etiam in recipiente licentia accipendi, reapse tamen censemur eam dare subdito suo. (Lugo. *disp.* 3. n. 163-165. Salm. *tr.* 13. *cap.* 6. n. 42.)

5º Licentia ab uno Superiore concessa perseverat sub eius successore, nisi ab hoc expresse vel tacite fuerit revocata; quia gratia non exspirat mortuo vel amoto concedente. (Lib. 1. n. 191. Lib. 6. n. 559. 787. not. 2. Croix. Lib. 4. n. 115. cum Lugo.)

### § III. - VITA COMMUNIS.

1213. — **Notio.** Vita communis, seu communio bonorum, quae sepes est paupertatis, in eo consistit quod singuli Religiosi non tantum sub communi regula simul vivant, verum etiam omnia, quibus indigent, ex solis bonis communibus, quae Religio possidet, accipient idque semper iudicio et arbitrio Superioris, atque cum eius facultate.

1214. — **Obligatio.** I. In quavis religione vita communis accurate ab omnibus servetur etiam in iis quae ad *victum*, ad *vestitum* et ad *supellectilem* pertinent. (can. 594. § 1.)

II. Quidquid a religiosis votorum simplicium, etiam a Superioribus, acquiritur *industria sua vel intuitu religionis*, atque, salvis peculiaribus indultis, *omnia bona* quae *quovis modo* obveniunt regulari post sollemnem professionem in Ordine capaci possidendi, bonis domus, provinciae vel religionis admisceantur; in Ordine incapaci possidendi, acquiruntur S. Sedi in proprietatem; et pecunia quaelibet omnesque *tituli* in capsula communis deponantur. (can. 594. § 2.)

III. Religiosi legem vitae communis constitutionibus praexceptae in re notabili violantes, graviter *moneantur*, et, emendatione non secuta, pu-

<sup>1)</sup> 1. 2. *qu. 96. a. 6.*

niantur etiam privatione vocis activae et passivae et, si Superiores sint, etiam officii. (can. 2389.)

**1215.** — *Resolutiones.* 1º Religiosus nequit habere in cella, sive privatim, esculenta vel poculenta ad usum proprium et arbitrarium; neque libros ad usum perpetuum, iis exceptis, quibus singuli Religiosi perpetuo indigent, prout sunt Breviarium, liber Regularum.

2º Nihil aliunde sibi comparare debet religiosus, puta a parentibus, cognatis, amicis, quod Monasterium non suppeditaret.

3º Vitae communi oppositum est *peculium* seu bonum pretio aestimabile, quod, separatum a rebus monasterii, religiosus ad suos usus sinitur possidere, administrare, detinere praeter id quod praesens ipsius necessitas moraliter requirit. Est *perfectum*, si factam ab initio veniam expendendi bona in propriis usus Superior iam non possit auferre. Est *imperfectum*, si facultas disponendi semper a Superiore circumscribi aut auferri possit. Ita Vermeersch. I. n. 273-274.

**1216.** — *Quaestiones.* QUAER. 1º *Sitne obligatio vitae communis inclusa in ipso voto paupertatis.*

*Resp. Dist.* 1º *Affirm.* hodieum saltem quoad exclusionem peculii *perfecti*: uti constat ex communissima doctrina, quae ita interpretatur legem vitae communis, ut qui habeat peculium perfectum, peccet contra votum paupertatis.

2º Quoad exclusionem peculii *imperfecti*, quamvis etiam hoc peculium sit contra *legem* vitae communis, attamen, iure communi esse contra *votum* paupertatis non liquet. Potest tamen constare iure particulari.

QUAER. 2º *An ex consuetudine tolerari possit peculium.*

*Resp.* Affirmandum videtur quoad consuetudinem centenariam et immemorabilem, si agatur de peculio imperfecto; quando nempe Superioris maiores pro locorum ac personarum adiunctis existiment eam prudenter submoveri non posse. (Cfr. can. 5.)<sup>1)</sup>

Ita in nonnullis religionibus habere licet peculium cum licentia Superiorum, ad usus necessarios et honestos; dummodo tamen: 1º apud Officiale Conventus ad hoc deputatum custodiatur; 2º Religiosi eo non utantur, nisi de Superioris licentia; 3º parati sint, illud a se abdicare ad nutum Superioris, qui illis sufficienter subventurus est. Hoc modo potest peculium ex consuetudine permitti; quia cum dependentia a Superioris voluntate illud non repugnat substantiae voti paupertatis. Unde consequitur, non posse Regulares vitam communem recusare, si Superiores illam restaurare subditisque necessaria suppeditare velint; quia, quamvis vita communis non pertineat ad essentiam voti paupertatis, est tamen contra votum, vitam communem respuere, cum possiderentur bona independenter a voluntate Superiorum. *Ita communiter.* (n. 15. H. A. n. 6. Ferrar, loc. cit. n. 71.)

QUAER. 3º *An fas sit Superioribus usum peculii imperfecti admittere in Monasteriis, ubi viget vita communis.*

*Resp. Negat.* et quidem a gravi peccato excusari non possent, non quidem, spectato iure communi, ob voti *Violationem*, sed ob voti et Regulae *relaxationem*, cui hac concessione procul dubio locum dabunt. Usus siquidem peculii est proxima occasio plurium abusuum contra disciplinam religiosam, prout scite

<sup>1)</sup> Cfr. Marc. n. 2156. Fanfani. n. 255.

observat S. Alfonsus: « In praxi, omnes Praelati tamquam certum sibi persuadent, quod si usum peculii in Monasteriis de novo introducant, vix nomen paupertatis ibi supererit, et ex hoc innumera mala Communitati quoad observantiam supervenient. » Magnum ergo detrimentum Religioni suae inferrent. (n. 15. *v. Caeterum. H. A. n. 6.*)<sup>1)</sup>

#### § IV. - EXCLUSIO SUPERFLUI.

1217. — Religiosa paupertas vetat quoque usum superfluirorum, et pretiosorum. Rationes sunt: 1º quia Superior ea concedere nequit, cum Canones et Religio id ipsi prohibeant: sic can. 594. § 3. statuit: « Religiosorum supellex paupertati conveniat quam professi sunt. » Cfr. etiam Conc. Trid. sess. 25. cap. 2. *de regul.* Huc quoque referre liceat can. 537: « Largitiones ex bonis domus, provinciae, religionis non permittuntur nisi ratione eleemosynae vel alia iusta de causa, de venia Superioris et ad normam Constitutionum. » 2º Quia votum paupertatis non prohibet solum vitium proprietatis, sed ea quoque quae repugnant statui paupertatis, quam Religiosi professi sunt. 3º Quia secus, historia teste, observantia regularis brevi relaxatur. Accedit, saeculares multum scandalizari fastu Religiosorum. (n. 29. 30.)

Quinimo quaestio est inter DD. num *valida* esset licentia Superioris ad usus superfluos. S. Alfonso omnino arridet sententia negans; quia Superior non est dominus, sed simplex administrator bonorum Monasterii; consequenter, concedendo licentiam ad usus prohibitos, excedit suam potestatem. Unde etiam religiosus, non obstante licentia, iam ex hoc capite peccat contra votum, praecise quia licentia est nullius valoris. Requiritur tamen ut notabilis sit excessus; quia secus res magnis scrupulis esset obnoxia. (n. 30-32.)

### *Articulus III.*

#### Observantia voti castitatis.

S. Alf. lib. 7. H. A. tr. 19.

Dicemus: 1º de obligatione, 2º de tutela voti castitatis.

#### § I. - OBLIGATIO VOTTI CASTITATIS.

1218. — I. Religiosi ex voto castitatis obligantur servare coelibatum et abstinere ab omni actu interno et externo, qui sit contra castitatem.<sup>2)</sup> Unde Religiosus peccans in re venerea duo committit peccata, luxuriae scilicet et sacrilegii. Peccat etiam contra bonum commune, si periculum sit quod per suum peccatum Religio infametur. (n. 37.)

<sup>1)</sup> In Congregatione nostra deposita nomine proprio, seu peculia, ipso paupertatis voto exclusa sunt, ut declarant *Constitut.* n. 269, et Benedictus XIV in Brevi approbationis *Ad pastoralis*, 26 febr. 1749, ubi testatur in Congregatione emitte votum vitae communis. Insuper Superiores omnes, ingressu Officii sui, iurare tenentur se nullum cuiuscumque rei peculium umquam permissuros esse. Quapropter usus peculii in Congregatione nostra introduci non posset sine voti violatione a parte omnium, et periurio a parte Superiorum.

<sup>2)</sup> Cfr. *Normae C. Episc. et Reg.* (28 Iun. 1901) n. 129; cfr. etiam *A. A. S.* 1927. n. 366. n. 24.

II. Votum porro obligat eo modo, quo obligat virtus castitatis, cui adiicitur, ita ut malitia sacrilegii sit mortal is in iis actibus, in quibus malitia libidinis est mortal is, venialis vero, in quibus illa est venialis.

III. Regulares aut moniales post votum sollempne castitatis itemque omnes cum iis matrimonium, etiam civiliter tantum contrahere praesumentes, incurront in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam; quod si sint professi votorum simplicium perpetuorum tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis, omnes, ut supra, excommunicatio tenet latae sententiae Ordinario reservata. (can. 2388.)

**Nota.** EFFECTUS voti castitatis sive simplicis sive sollemnisi partim supra (*n.* 1181.) descripti fuerunt, ubi de effectibus professionis religiosae diximus; partim exponentur in tractatu de Sponsalibus et de Matrimonio. Cfr. *tom. II. n.* 655. 656. 699. 725. 728.

### § II. - TUTELA VOTI CASTITATIS.

Ad tuendum cum spiritum religiosum in genere, tum praesertim votum castitatis, etiam legislator ecclesiasticus plura statuit: 1º circa delationem habitus, 2º circa clausuram, 3º circa conversationem cum extraneis.

#### Punct. I. Delatio habitus.

**1219.** — **Regula.** Religiosi omnes proprium suae religionis habitum deferant tum intra tum extra domum, nisi gravis causa excuset, iudicio Superioris maioris, aut, urgente necessitate, etiam localis. (can. 596.)

Dicitur: *proprium habitum*, qualis constituitur ex speciali forma, qualitate et colore vestis, quam religiosi *exterius* deferunt et qua distinguuntur tum ab aliis fidelibus, tum a membris alius instituti religiosi, tum a religiosis exlastratis proprii instituti. Cfr. can. 639.

Religiosi qui proprium habitum non habent, hac lege non tenentur, sed subiacent, si sint clerici, praescripto canonis 136. § 1, iuxta dicta supra *n.* 1104.

*Causa gravis* quae excusare potest iudicio Superioris maioris aut, urgente necessitate, etiam localis, erit v. g. prohibitio legum civilium, mores populi, seditio popularis contra religionem et similia. Cfr. Fanfani, *n.* 296. *sequ.* ubi plura.

#### Punct. II. Lex clausurae.

Clausura materialiter est ipsa domus religiosa prout libero egressui et ingressu vi legis ecclesiasticae clausa est; formaliter est ipsa lex hue spectans. Est papalis seu regularium et monialium, vel non papalis seu Congregationum religiosarum.

**1220. — Loca clausurae papali subiecta.** I. In domibus regularium sive virorum sive mulierum canonice constitutis, etiam non formatis, servetur clausura papalis. (can. 597. § 1.)<sup>1)</sup>

II. Lege clausurae papalis afficitur tota domus quam communitas regularis inhabitat cum hortis et viridariis accessui religiosorum reservatis; excluso, praeter publicum templum cum continente sacrario, etiam hospitio pro advenis, si adsit, et collocutorio, quod, quantum fieri potest, prope ianuam domus constitui debet. (can. 597. § 2.)

III. Partes clausurae legi obnoxiae patenter indicentur; Superioris vero maioris vel Capituli generalis secundum constitutiones, aut, si agatur de monasterio monialium, Episcopi erit clausurae fines accurate praescribere aut legitimis de causis mutare. (can. 597. § 3.)

**1221. — Regulae pro clausura regularium.** I. Intra regularium viorum clausuram ne admittantur mulieres cuiusvis aetatis, generis aut conditionis sub quovis praetextu. (can. 598. § 1.)

II. Eximuntur ab hac lege uxores eorum qui supremum actu tenent populorum principatum, cum comitatu. (can. 598. § 2.)

III. Si domus regularium viorum adnexum habeat convictum pro alumnis internis vel alia opera religionis propria, separata saltem aedis pars, si fieri possit, religiosorum habitationi reservetur, clausurae legi subiecta. (can. 599. § 1.)

IV. Etiam in loca extra clausuram alumnis externis aut internis vel operibus religionis propriis reservata, personae alterius sexus, nisi aequa de causa et de Superioris licentia, ne admittantur. (can. 599. § 2.)

**1222. — Regulae pro clausura monialium.<sup>2)</sup>** I. **QUOAD INGRESSUM.** Intra monialium clausuram nemo, cuiusvis generis, conditionis, sexus, aetatis admittatur sine Sanctae Sedis licentia, exceptis personis quae sequuntur:

1º Ordinario loci aut Superiori regulari, monasterium monialium visitantibus vel aliis Visitatoribus ab ipsis delegatis licet clausuram ingredi dumtaxat inspectionis causa, cauteque et unus saltem clericus vel reli-giosus vir maturae aetatis eos comitetur.

Pro sola visitatione *locali* peragenda visitatori clausuram ingredi licet. Visitatione *personalis* extra clausuram ad erates fieri debet. Nec Ordinario aut Superiori regulari aut visitatori, extra actum visitationis ratione officii clausuram ingredi fas est. Nec

<sup>1)</sup> Nomine *regularium* veniunt religiosi qui vota nuncuparunt in aliquo *Ordine*. (Cfr. supra n. 1177 et can. 488. 7º.) Domus *formata* est domus religiosa in qua sex saltem religiosi professi degunt, quorum, si agatur de religione clericali, quatuor saltem sint sacerdotes. (can. 488. 5º.)

<sup>2)</sup> Dicuntur *moniales* religiosae votorum sollemnium, aut, nisi ex rei natura vel ex contextu sermonis aliud constet, religiosae quarum vota ex instituto sunt solennia, sed pro aliquibus locis ex Apostolicæ Sedis præscripto sunt simplicia. Ita can. 488. 7º. Unde clausura papalis etiam religiosas secundo loco indicatas per se loquendo respiceret, quum neque ex rei natura neque ex contextu sermonis canonum 600-603 aliud constet. Attamen, ratione *indutti apostolici* lege clausuræ papalis moniales istae non tenentur, prout declaravit C. C. Int. 1 Martii 1921, sub. III. (A. A. S. p. 178).

licitus est Ordinario loci aliive ingressus causa explorationis voluntatis, electionis, vestitionis vel professionis. Cfr. *Instr. de clausura monialium votorum sollempnum*, publicata a S. C. de Relig. die 6 Febr. 1924 sub III. 2º (A. A. S. 1924. p. 96.)

2º Confessarius vel qui eius vices gerit potest, cum debitibus cautelis, ingredi clausuram ad ministranda Sacraenta infirmis aut ad assistendum morientibus.

Haec facultas respicit confessarium ordinarium monasterii vel qui eius vices gerit (cfr. can. 514. § 2); in horum defectu alius etiam sacerdos clausuram ingredi potest. — Ad excipiendas vero confessiones aegrotantium ingredi clausuram potest, quoties requiratur, non solum confessarius ordinarius, sed etiam extraordinarius, vel adiunctus aut confessarius quilibet a graviter aegrotante ad normam can. 523 accessitus.

In horum omnium ingressu debitae cautelae adhibendae sunt. In communione administranda quatuor religiosae maturae aetatis, si fieri possit, ab ingressu usque ad egressum Sacerdotem comitentur oportet. In Confessione excipienda duae moniales confessarium ad cellam infirme comitentur ibique ante ostium cellae apertae exspectent, dum Confessionem audit, ut redeuntem ad monasterii ianuam iterum comitari possint. — Sacerdos finito ministerio statim e monasterio egredi debet. Cfr. de hisce omnibus citatam Instr. sub. 2º.

3º Possunt clausuram ingredi qui supremum actu tenent populorum principatum eorumque uxores cum comitatu; itemque S. R. E. Cardinales;

4º Antistitiae est, adhibitis debitibus cautelis, ingressum permettere medicis, chirurgis, aliisque quorum opera sit necessaria, impetrata prius saltem habituali approbatione ab Ordinario loci; si vero necessitas urgeat nec tempus suppetat approbationem petendi, haec iure praesumitur. (canon 600.)

Cfr. plura hac de re in citata Instr. sub III. (de usu praesentandi initio anni Ordinario elenchum eorum quorum opera durante anno occurret; de cautelis adhibendis.)

Claves clausurae diu noctuque semper sint apud antistitiam, quae illas tradet monialibus designatis, quoties opus fuerit. Cfr. cit. Instr. sub. IV.

Adspirantes ad habitum religiosum clausuram ingrediuntur de licentia Ordinarii. — Puellas tamen educationis causa vel alia etiam pia causa in monasterium admittere, absque S. Sedis licentia, non licet. Cfr. cit. Instr. ibid.

**II. QUOD EGRESSUM.** 1º Nemini monialium licet post professionem exire e monasterio etiam ad breve tempus, quovis praetextu, sine speciali Sanctae Sedis indulto, excepto casu imminentis periculi mortis vel alias gravissimi mali. (can. 601. § 1.)

2º Hoc periculum, si tempus suppetat, scripto recognoscendum est a loci Ordinario. (can. 601. § 2.)

3º Hi canones etiam valent pro postulantibus et novitiis. (Cfr. n. 1174. et S. C. de Relig. 7 Nov. 1916. et can. 540. § 3.) — Hae tamen libere possunt egredi sine ulla licentia, quando ad saeculum sponte eas redire aut a superioribus dimitti contingat; et idem dicendum de temporaria vota professis, quando vota exspiraverint vel legitime dimissae fuerint. Cfr. Instr. cit. III. 1º.

Pericula ob quae egredi licet erunt: incendium, inundatio, ruina fabricae, terrores belli, invasio militum, et cetera huiusmodi. Eadem provenire possunt etiam ex parte cuiusdam monialis, e. g. dementiae periculo affectae aut morbo epidemico laborantis, quo in casu e clausura recedere debet ut incolumentati Communitatis consulatur. — Sed sine *licentia S. Sedis* non licet egredi causa novae fundationis vel translationis ab uno monasterio ad aliud, etiam eiusdem ordinis; nec ut quae monialis exerceat munus abbatisse, antistitiae, magistræ novitiarum, nec ad curandam valetudinem, nec ad invigilandum aedificationi novi monasterii. Alia cfr. in cit. Instr. sub III. 1<sup>o</sup> *litt. c.* et d.

III. QUOAD MONASTERII STRUCTURAM. Clausura monasterii monialium ita circumsepta esse debet ut, quoad fieri potest, nullus sit in eam vel ab ea prospectus externalium personarum. (can. 602.) Plura hac de re cfr. in cit. Instr. sub II.

**1223. — Sanctio clausurae papalis. I. QUOAD CLAUSURAM VIRORUM.** 1<sup>o</sup> Mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliquie, quicunque ii sint, eas cuiuscunque aetatis introducentes vel admittentes, plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata. Cfr. infra *tom. II. n. 1059.*

2<sup>o</sup> Praeterea religiosi introducentes vel admittentes priventur officio, si quod habeant, et voce activa et passiva. (can. 2342. 2<sup>o</sup>.)

**II. QUOAD CLAUSURAM MONIALIUM.** 1<sup>o</sup> Clausuram monialium violantes, cuiuscunque generis aut conditionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima *licentia* ingrediendo, pariterque eo introducentes vel admittentes, plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservata. (can. 2342. 1<sup>o</sup>.) — Impuberis, secus atque antea, in hanc excommunicationem non iam incurront. (Cfr. can. 2230; cfr. et ed. oct. lib. VII. n. 94. Cfr. et *tom. II. n. 1059.*)

2<sup>o</sup> Clerici praeterea suspendantur per tempus pro gravitate culpæ ab Ordinario definiendum. (can. 2342. 1<sup>o</sup>.)

3<sup>o</sup> Moniales e clausura illegitime exeuntes contra praescripta supra (*n. 1207. II.*) tradita, ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae reservata plectuntur. (can. 2342. 3<sup>o</sup>.)

4<sup>o</sup> Clausura monialium, etsi regularibus subiectarum, sub vigilantia est Ordinarii loci, qui potest delinquentes, regularibus viris non exceptis, poenis quoque ac censuris corrigeret et coercere. Etiam Superiori regulari custodia clausurae monialium sibi subiectarum commissa est, qui moniales aut alios suos subditos, si quid haec in re deliquerint, poenis quoque punire potest. (can. 603.)

**1224. — Regula pro clausura Congregationum. I.** In domibus etiam Congregationum religiosarum sive pontificii sive dioecesani iuris clausura servetur, in quam nemo alterius sexus admittatur, nisi qui supremum actum tenent populorum principatum, eorumque uxores cum comitatu, atque ii in genere qui supra (*n. 1222.*) enumerati fuere aliique quos ex iustis ac rationabilibus causis Superiores admitti posse censuerint. (can. 604. § 1.)

II. Ea quae supra (n. 1221. III. IV.) statuta fuere circa alumnos vel opera religionis propria, etiam dominibus Congregationum religiosarum sive virorum sive mulierum applicentur. (can. 604. § 2.)

III. Episcopus in adiunctis particularibus, gravibusque intercedentibus causis, potest hanc clausuram, nisi agatur de religione clericali exempta, censuris munire; semper autem curet ut eadem rite servetur et quidquid in eam irrepatur vitii corrigatur. (can. 604. § 3.)

### Punct. III. Conversatio eum extraneis.

**1225.** — I. Omnes quibus est clausurae custodia, sedulo advigilente, alienis invisentibus, inutili collocutione disciplina perturbetur et spiritus religiosus detrimentum patiatur. (can. 605.) Cfr. Instr. cit. sub. V.

II. Current Superiores religiosi ut accurate observentur quae sive circa egressum subditorum e claustris, sive circa excipiendos vel adeundos extraneos, in propriis constitutionibus praescripta sunt. (can. 606. § 1.)

III. Superioribus fas non est, salvis praescriptis circa eleemosynas colligendas (can. 621-624), permittere ut subditi extra domum propriae religionis degant, nisi gravi et iusta de causa atque ad tempus quo fieri potest brevius secundum constitutiones; pro absentia vero quae sex menses excedat, nisi causa studiorum intercedat, semper Apostolicae Sedis venia requiritur. (can. 606. § 2.)

IV. Antistitiae et Ordinarii locorum serio advigilent ne religiosae, citra casum necessitatis, singulae extra domum pergant. (can. 607.)<sup>1)</sup>

### Articulus IV.

#### Observantia voti obedientiae.

**1226.** — *Principia.* I. *Ex voto tenetur Religiosus parere omnibus Superioris sui praeceptis, quae ad REGULAM vel INSTITUTUM, quod professus est, ALIUO MODO PERTINENT.* Ratio, quia votum obedientiae ex natura sua Religiosos adstringit ad omnia praecepta Ordinis et Superioris sui; at non ultra id, ad quod professi sese adstrinxerunt, scilicet ad ea omnia et sola, quae ad Ordinis sui Regulam finemque pertinent atque sub praecepto iniunguntur. (S. Thom. 2. 2. qu. 104. a. 5. ad 3. S. Bern. *De praecepto et dispens. cap. 4 et 5.*)

II. *Qui Superiori legitime praecipienti non obedit, peccat tum contra RELIGIONEM ob violationem voti, tum contra IUSTITIAM ob violationem iuris, quod Religio in ipsum per sui traditionem obtinuit.* (n. 46.)

Dictum est in primo principio: 1º *Tenetur parere omnibus PRAECEPTIS: nempe formalibus;* et quidem, si Superior praecipiat hac vel simili forma, *in virtute*

<sup>1)</sup> Huc etiam refer cautiones in Instr. S. C. de Prop. Fide pro religiosis mulierum Institutis, ad tuerdam puerorum matrumque vitam in locis Missionum, 11 Febr. 1936. A. A. S. p. 208.

*sanciae obedientiac; in nomine D. N. Christi; sub gravi, vel sub gravi poena, puta censura ecclesiastica, tenetur obedire sub peccato mortali, in materia nempe gravi, secundum dicta n. 156. IV; tunc enim, et tunc solummodo, ex more in Religionibus recepto (ad praecavendas anxietates et dubia), Superior intendit obligare quantum potest. Si autem haec forma praecipiendi non utatur non censemur obligare sub peccato mortifero: obligat tamen sub veniali, si verum mandatum explicat, dicendo: *iubeo, praecepio, prohibeo*. Quod si simplicem voluntatem significet, non obligat sub culpa, sed solum sub poena et correctione Superioris, quo modo ipsae Regulae obligant. (n. 38. 47. Lib. I. n. 141.)*

2º *Quae ad Regula n. vel Institutum aliquo modo pertinent*, id est, quae explicite vel implicite in Regula Constitutionibusque continentur; quia Religiosus non vovit obedientiam indeterminatam, sed secundum Regulam. Ea autem dicuntur implicite seu indirecte in Regula contineri, quae ad perfectam eius observantiam atque ad proprium Instituti finem attingendum postulantur. (n. 38. 39. S. Thom. loc. cit. et qu. 186. a. 2. S. Bern. loc. cit.)

Idecirco non possunt Superiores obligare ad ea quae certo sunt *extra Regulam*, nisi ex iusta causa quae sit secundum Regulam. Unde nequeunt praecipere: a) quae sunt *contra Regulam*, nisi possint in ea parte Regulae dispensare, adsitque iusta dispensandi causa; b) quae sunt *supra Regulam*, i. e. maiora ac duriora, nisi in poenam delicti, et ad praecavendum relapsum, vel ad necessariam regularis observantiae tutelam, vel ob aliquam publicam necessitatem; c) quae sunt *infra Regulam*, i. e. laxiora, nisi ex causa, v. g. sanitatis. (n. 40. Lib. I. n. 194. S. Bern. loc. cit.)

Onera supra Regulam sunt e. g. quaedam corporis macerationes, acceptatio Episcopatus vel alius Beneficii ecclesiastici, iussa quae manifestum periculum gravis damni adnexum habent. Consule tamen infra qu. 3. et 4. (n. 40. H. A. n. 16.)

Ad haec S. Thomas monet: « Praelati abstinere debent a multitudine praceptorum »<sup>1)</sup>, ne hac ratione subditos praegravent. S. Alfonius idipsum sic nervose exprimit: « Multitudo decretorum ruina esset Congregationis. »<sup>2)</sup>

III. *Ex voto obedientiae tenentur Religiosi obedire SUMMO PONTIFICI* (can. 499. § 1.) *et omnibus PRAELATIS RELIGIONIS, sub quibus unusquisque Religiosus constitutus est*, servato ordine inter illos, ita ut maior minori praefreratur. Votum vero non respicit alios Officiales, quamquam ex virtute obedientiae obtemperandum est illis in rebus ad Officium illorum pertinentibus. (Suar. *De Relig. tr. 7. lib. 10. cap. 11.*)<sup>3)</sup>

#### 1227. — Quaestiones. QUAER. 1º *Quomodo differant votum et virtus obedientiae.*

*Resp.* Materia voti est voluntaria executio mandati Superioris; materia virtutis vero interna voluntatis submissio, ut libenter, propter Deum faciat quidquid Superior imperaverit. — Hinc duplex obedientia distinguitur: *necessaria*, quae ad votum pertinet; *perfecta*, quae ad omnia licita et ad omnem Superioris voluntatem extenditur, etiamsi non cadant sub obligatione, quaeque cum voluntatis affectu et alacritate exercetur.

<sup>1)</sup> 2. 2. qu. 105. a. 1. ad 3.

<sup>2)</sup> Corresp. gen. n. 75.

<sup>3)</sup> Cfr. Raus. *de sacrae obedientiae virtute et voto*. n. 115.

Obedientia virtuti contraria, quam S. Thomas *indiscretam* vocat, est ea, quae etiam in illicitis obedit, in iis nempe quae sunt contra Deum aut contra professionem Regulae. (S. Thom. loc. cit. S. Bern. loc. cit. cap. 5. 6. 7.)

QUAER. 2º *An votum obedientiae obliget ad parendum Superiori in omnibus, in quibus manifestum peccatum non cernitur, quando Regula eiusmodi obedientiam praescribit.*

*Resp. Negat.*, talis Regula intelligenda est de obedientia *perfecta*, non de obedientia *necessaria*: quia votum obedientiae solum extenditur ad ea, quae in Regula continentur. *Ita communiter.* (n. 40. S. Bern. cap. 6. S. Thom. loc. cit. Suarez. *De Relig. tr. 7. lib. 10. cap. 8. Salm. tr. 15. cap. 6. n. 55. 56.*)

QUAER. 3º *An possit Superior ea praecepere, quae adnexum habent periculum vitae.*

*Resp. Negat.*, nisi bonum commune id exposcat, aut ad finem Instituti pertineat. Hinc nequit Superior subditum obligare ut eat ad infideles cum manifesto periculo mortis aut servitutis; nisi hic expresse ad hoc se obligarit. Potest tamen Religiosus compelli ut tendat ad remotissimas provincias trans mare, si sunt ibi Ordinis Conventus; id enim pertinet ad bonum Religionis.

Pariter potest Superior subditum obligare ut assistat aegrotis morbo contagioso infectis, si aegroti sunt Religiosi eiusdem sui Monasterii vel Ordinis; aut si extranei sunt, et desit qui ipsos Sacramentis Ecclesiae muniatur; aut tandem, si cura infirmorum est finis Instituti. (n. 40.)

QUAER. 4º *An teneatur Religiosus obedire in dubio annon res iniuncta sit illita, vel Superioris potestatem excedat, utpote supra aut contra Regulam.*

*Resp. Affirm.*, generatim loquendo; quia in dubio melior est conditio Superioris possidentis suam praecipiendi potestatem. Excipiunt DD. communiter: 1º si praeceptum sit observatu *nimirum difficile et molestum*; 2º si ex obedientia immineat subdito vel tertio *grave damnum spirituale aut temporale*; quia in hisce casibus ius certum subditi contra nimiam executionis difficultatem et contra grave damnum praevalet Superioris possessioni, prout dictum est n. 157. qu. 3. (n. 47. H. A. n. 17.)

QUAER. 5º *An obligetur Religiosus ad nova statuta Capitulorum.*

*Resp. Affirm.*, si non sunt omnino extra Regulam, sed tantum media apta ad consequendum scopum Religionis et Regulae observantiam. Nemo enim potest Religiosos cogere ad arctiorem vivendi rationem, quam Instituti prima forma postulat. (n. 43. H. A. n. 17.)

QUAER. 6º *An valeat licentia impetrata a Praelato inferiori si a maiori fuerit prius denegata.*

*Resp. Probabiliter affirm.*, quia Praelatus maior, denegando licentiam, minime auferit potestatem inferioris. Secus vero dicendum, si Praelatus maior positive prohibeat subdito rem petitam exsequi, vel irritam declareret licentiam Praelati inferioris. (n. 50.)

### Articulus V.

#### Observantia Regularum et Constitutionum.

1228. — In Regulis et Constitutionibus distinguere cumprimis oportet *praecepta*, quae aliquid diserte praescribunt vel prohibent, et *hortamina seu consilia*, quae nullam prorsus obligationem inducunt. Inde Regulae et

Constitutiones aliae dicuntur *praeceptivae*, aliae *directive*. Sermonem hoc loco instituimus de Regulis et Constitutionibus quae praeceptorum rationem non habent.

**Principia.** I. *Regulae et Constitutiones, quae VOTI materiam continent, aut praeceptum FORMALE exprimunt, obligant sub peccato, pro materiae et praecepti gravitate, secundum dicta supra n. 1226.*

II. *Caeterae Regulae et Constitutiones, saltem quando expresse id declaratur, per se non obligant sub CULPA, sed sub REATU POENAE.* Ratio est, quia ad rationem legis, qualis est Regula, sufficit obligatio ad poenam; ut autem Regula a mero consilio distinguatur, oportet ut obligationem aliquam, saltem ad poenam inducat.

In praxi vero, voluntaria transgressio Regulae, sine iusta causa, plurimum erit veniale peccatum; quia raro contingit Religiosum operari ex bono fine, quando sic operatur contra Regulam, sed ex acedia, ex ignavia, oblectationis causa, vel ex alio inordinato affectu. Quin etiam grave peccatum foret, si fieret ex contemptu formali, vel si ex notabili et frequenti Regulae violatione oriretur grave scandalum aliorum, gravisque perturbatio disciplinae. (n. 10. 41. 42 S. Thom. 2. 2. qu. 186. a. 9. ad 1 et 3. Suarez. tr. 8. lib. 1. cap. 3. n. 8. 12. 13.)<sup>1</sup>

### *Articulus VI.*

#### **Observantia legum ecclesiasticarum.**

1229. — Praeter leges ecclesiasticas quas in decursu tractatus iam tetigimus, sunt et plures alii canones qui obligationes religiosorum directe vel indirecte spectant, quos aut alibi tradidimus, uti can. 610 (de obligatione chori) in n. 1107, can. 611 (de commercio litterarum) in n. 1007; aut canonistis exponendos relinquimus; uti de obligationibus religiosi ad ecclesiasticam dignitatem promoti vel paroeciam regentis (can. 626-631); paucis tantum exceptis quos hic brevi sermone referimus.

I. Obligationibus communibus clericorum circa vitam sanctiorem prae laicis ducendam, obedientiam, studia, castitatis custodiam, evitandas non-nullas occupationes, verbo, obligationibus omnibus de quibus in canonibus 124-142, etiam religiosi omnes tenentur, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet. (can. 592.) Singulas autem hasce obligationes exposuimus supra in tractatu de obligationibus clericorum.

II. Regulae et particulares constitutiones singularum religionum quae canonibus Codicis Iuris canonici opponuntur, abrogatae sunt. (can. 489.)

III. Omnis Superior debet notitiam et exsecutionem decretorum Sanctae Sedis quae religiosos respiciunt, suos inter subditos promovere. (can. 509. § 1.).

IV. Curent Superiores locales, ut saltem semel in anno, statis diebus, publice legantur propriae constitutiones, itemque decreta quae publice legenda Sancta Sedes praescribet. (can. 509. § 2. 1º).<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Cfr. N. K. St. 1917. p. 65. 97. 204,

<sup>2)</sup> Cfr. N. K. St. 1918. p. 80,

# TRACTATUS III.

## DE OFFICIIS QUORUM DAM SAECULARIUM

S. Alf. lib. 4. H. A. tr. 13.

In hoc tractatu, more theologorum, sermo fit de Officiis, quae ad bonum publicum spectant, praesertim de iudicialibus. Unde agendum erit de officiis: 1º Iudicium, 2º Advocatorum et Procuratorum, 3º Accusatoris, 4º Testium, 5º Rei, 6º Apparitorum, 7º Secretarii et Notarii, 8º Medicorum et Pharmacopolarum, 9º Opificium et Artificum.

### CAPUT I.

#### OFFICIA IUDICUM

Agemus de officiis: 1º Iudicium proprie dictorum, 2º Iudicium iuratorum.

##### *Articulus I.*

###### **Officia Iudicium proprie dictorum.**

1230. — *Principia. I. In Iudice, ut IDONEUS sit, duo potissimum requiruntur*, scilicet: 1º scientia sufficiens, alioquin se exponeret errandi periculo, cum damno civium; 2º legitima iurisdictio, sine qua sententia irrita est, nisi lex suppleat, ut can. 209 fecit pro iudice ecclesiastico in casu erroris communis. (n. 192. 195.)

II. *Principale OFFICIO Iudicis est IUS DICERE*, h. e. tenetur partes litigantes audire, diligenter causae momenta discutere, ac ferre sententiam secundum ius et aequitatem, eamque executioni dare, atque sic suum cuique tribuere. Ad hoc enim se quasi-contractu obligavit ipsa susceptione Officii. Unde in sententia ferenda, citra ullam acceptationem personarum, nulla passione odii vel irae, amoris vel amicitiae, nullisque precibus aut muniberibus flecti debet, ut contra ius pronuntiet.

III. *Iudex regulariter tenetur pronuntiare SECUNDUM LEGES, utpote quare exsecutor est constitutus; dummodo eas iniustas esse non constet.*

Dictum est 1º *regulariter*; nam «etiam leges, quae sunt recte positae, in aliquibus casibus deficiunt; in quibus si servarentur, essent contra ius naturale: ideo in talibus non est secundum litteram legis iudicandum, sed recurrendum ad aequitatem, quam intendit legislator.» Ita S. Thom. 2. 2. *qu. 60. a. 5. ad 2.* (*n. 205.*)

Dictum est 2º *dummodo eas iniustas esse non constet;* iniqui enim mandati exsecutio semper intrinsee mala est. (S. Thom. *loc. cit. ad 1.*)

IV. *In singulis negotiis Iudex debet iudicare SECUNDUM ALLEGATA ET PROBATA.* Ratio est, quia iudicare pertinet ad Iudicem quatenus fungitur publica potestate; ideo informari debet in iudicando, non secundum id quod ipse novit tamquam persona privata, sed secundum id quod sibi innotescit tamquam personae publicae. Hoc autem innotescit ei per probations inductas. Secundum hasce ergo regulariter iudicare debet. (S. Thom. 2. 2. *qu. 67. a. 2.*)

Quid facere debeat, si scit aliquem esse innocentem, qui tamen nocens esse convincitur per falsos testes, aut contra, vide infra *n. 1217. qu. 2. et 3.*

**1231. — Resolutiones.** 1º Peccat mortaliter quisquis suscipiat et gerat Iudicis officium, cui se ita imparem esse noscat ut satis praevideat damnum grave civium ex eo probabiliter secuturum. (*n. 195.*)

2º Tenetur Iudex damnum iniusta sententia a se datum resarcire parti laesae: *a)* si sententia *formaliter iniusta*, seu scienter ac dolo, laesit, sicut quicumque aliis damnificator iniustus; *b)* si per *inscitiam iuris*, qua indignus est iudicis munere, alteri damnum intulit. (*n. 195. 214.*)

3º Si ex humana fragilitate erravit, non obligatur in conscientia ad restitutionem, cum iniuriam formalem non intulerit: debet tamen, agnito errore, si possit citra infamiam, damnum impedire, v. g. partem laesam occulte monendo ut sibi appellatione vel aliter consulat. (*n. 195. 214.*)

4º Iudex mortaliter peccat contra officium suum, si sine iusta causa diu differat causarum expeditionem, et tenetur parti laese damna et expensas, quae aminqua dilatione secuta sunt, restituere; quia est eorum causa iniusta. (*n. 196.*)

5º Iudex tenetur sub gravi concedere capite damnato tempus sufficiens ad Confessionem, et etiam, nisi grave damnum timeatur, ad Communionem; cum reus sit tunc in articulo mortis, in quo haec Sacramenta iure divino obligant. Quodsi reus nolit peccata confiteri, post adhortationem licite potest occidi a carnifice; quia tunc damnatio eius culpae propriae tribuitur. (*Lib. 3. n. 379.*)

**1232. — Quaestiones. I. De iusto iudicio.** QUAER. 1º *Quid faciendum iudici in causa DUBIA.*

*Resp. Dist.* 1º In dubio *facti*, semper iudicandum est in favorem rei: actoris enim est probare factum quo ius eius innititur.

2º In dubio *iuris subdist.*: *a)* in causa *criminali* iterum favendum est reo; nemo enim puniendus est ob actionem dubie tantum illicitam;

b) in causa *civili*, ubi neutra pars bona fide possidet, Iudex sequi debet sententiam *probabiliorum*. Unde damnata est ab Innocentio XI prop. 2: «*Probabiliter existimo Iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.*» Iudex enim debet rem adiudicare ei qui ius potius habet. In dubio *stricto* Iudex potest inducere partes litigantes ad compositionem; quod si nolint, et causa sit *possessoria*, partes adigat ut instituant causam *petitoriam*; <sup>1)</sup> si vero causa iam sit inde ab initio *petitoria* conetur sibi efformare opinionem probabiliorum; secus vero iuxta aliquos potest *salva iustitia* eligere partem quam maluerit, nisi forte lex eo in casu alicui parti favendum esse decernat; <sup>2)</sup> numquam vero a sententia ferenda abstinere ipsi fas est. <sup>3)</sup> Per se non esse *iniustum* in dubio stricto iuris uni potius quam alteri favere, arguunt vel ex ipso modo agendi Ecclesiae quae in tali casu certas causas potioris iuris fecit. <sup>4)</sup>

Dicta intelligas *ubi neutra pars bona fide possidet*, prout inde ab initio mouimus. Possessio enim bonae fidei parit praesumptionem dominii; unde qui possidet, non tenetur probare rem suam esse, sed onus probandi reiicit in adversarium. Cfr. supra n. 100. 3º. Si autem pro actore stant rationes probabiliores, sunt qui negant pro possessore esse iudicandum; quia ex regula 65 Iuris in 6º solummodo in *pari causa* *potior est conditio possidentis*. — Sententia vero communior et probabilior affirmat, si revera habetur possessio bonae fidei, quia legitima possessio dat possessori ius certum retinendi rem, donec constet de iure alterius; proinde Iudex, favendo possessori, iudicat non solum iuxta probabiliorum, sed iuxta probabilissimam sententiam, fundatam in alia regula iuris (reg. 2.): Cum sunt partium iura obscura (sicut iam est, cum non adest certitudo ex parte actoris), potius favendum est reo quam actori. Marc. n. 2301; supra n. 761. III. (n. 210. qu. 2. H. A. n. 65; lib. I. n. 36.)

*QUAER. 2º An liceat Iudici illum condemnare, qui secundum allegata iuridice probatus est reus, quem tamen ipse PRIVATIM certo scit insontem esse.*

*Resp. Controv.* 1ª Sententia negat, non tantum in criminalibus, sed etiam in civilibus causis; quia rectae rationi repugnat eum condemnari ad solvendum, qui nihil debet, et puniri, qui non deliquit.

2ª Sententia probabilis affirmat posse Iudicem *semper* proferre sententiam secundum allegata et probata; quia Iudex cum sit persona publica, debet sequi notitiam publicam, per probationes acquisitam; deinde ipse non occidit innocentem, sed illi occidunt, qui eum asserunt nocentem.

3ª Sententia communior et probabilior distinguit: negat seil. in causis criminalibus *maioribus*, ubi agitur de poena mortis vel mutilationis; affirmat vero tum in criminalibus *minoribus*, ubi agitur de poena exsilii tantum aut carceris, vel de castigatione corporis, vel de ademptione Officii, aut de mulcta imponenda; tum in *civilibus*, ubi solum agitur de lucro actoris. Ratio prioris est, quia innocentem occidere est intrinsece malum, sicut cognoscere mulierem non suam, quantumvis probetur et a Iudice declaretur sua. Ratio posterioris, quia, licet Respublica non habeat dominium in vitam et membra subditorum, ut possit

<sup>1)</sup> *Causa possessoria* ea est in qua actor rei possessionem vel iuris quasi-possessionem postulat, causa *petitoria*, in qua actor rei vel iuris dominium titulo iuridico sibi vindicat. Cfr. can. 1668; Waffelaert. de *Iust.* II. n. 431.

<sup>2)</sup> Ita ex iure canonico et iure Romano iudex causis piis favere debet: quam normam ut iudex civilis etiam hodie quantum potest observet maxime convenit. Cfr. can. 1869. § 1.

<sup>3)</sup> Cfr. can. 1625. § 1. Sweens. *de Iust.* n. 597.

<sup>4)</sup> Cfr. Lehmkuhl. I. n. 967.

aliquem iis privare, habet tamen in alia bona, ita ut, adveniente iusta causa, propter bonum commune possit de illis disponere; ergo credibile est eam dedisse hanc potestatem Iudicii, ut secundum leges et probationes iudicet, ne contemnatur ordo iudicialis, cuius observatio summopere conductit ad pacem et quietem Reipublicae. (n. 208. H. A. n. 64.)

Interim semper tenetur Iudex omnia media tentare ad liberandum innocentem, puta excogitando causas sufficientes ad repellendam accusationem, maxima dexteritate examinando testes, ut eos dissidentes inveniat, et similia. (n. 208. Lugo. *disp.* 37. n. 41.)

Caeterum, lex praeter probationem legitimam potest insuper persuasionem intimam de iustitia causae requirere, in quo casu omnis difficultas cessat. (Cfr. Sweens. *l. c.* n. 598. pro lege hollandica.)

*QUAER.* 3º *An contra possit Iudex eum condemnare, qui iuridice probatus est innocens, quem tamen PRIVATA SCIENTIA certo sententiam esse.*

*Resp. Negat.*, ex communi sententia; esset enim contra bonum commune potestas condemnandi reum, sine sufficiente probatione externa: ideo omnes leges exigunt ut reus nonnisi *convictus* condemnetur. (n. 207.)

*QUAER.* 4º *An sententia Iudicis certo INIUSTA obliget in foro conscientiae.*

*Resp. Negat.*, sive iniusta sit ex causae iniustitia, sive ex omissione ordinis iuris prorsus necessarii. In foro tamen externo, si adfuerit probatio iuridica, sententia prolata servanda est, ad evitanda scandala et alia incommoda.

Idecirco: 1º Laesus potest, nisi alter iuste praescripserit, per occultam compensationem sua recuperare. 2º Is, qui causam obtinuit, si quidem mala fide, tenetur semper restituere tum bona accepta, tum damna parti laesae illata: sin autem bona fide, intelligatque, ante tempus praescriptionis finitum, sententiam fuisse iniustum, tenetur bona accepta, non tamen expensas, restituere; postquam vero rem bona fide possedit tempore ad praescribendum necessario, nihil restituere tenetur. (n. 215.)

### 1233. — II. De acceptatione munorum. *QUAER.* 1º *An liceat Iudici MUNERA accipere a litigantibus.*

*Resp. Negat.*, etiamsi liberaliter offerantur, ipsique deliberatum sit ius suum cuique in omni easu reddere; ob periculum pervertendae iustitiae, quod ordinarie subesse solet, iuxta Deuter. XVI. 19: «Non accipies personam, nec munera: quia munera excaecant oculos sapientum et mutant verba iustorum». Id tamen intelligendum est de muneribus proprie dictis seu pretiosis; non autem de munusculis liberaliter oblatis, quae in esculentis et poculentis fere consistunt; quia verisimile non est, propter data tam exigua movendum esse animum Iudicis; quamquam multo magis famae suae et integritati suae consulet, si etiam ista respuat.

Multo minus potest Iudex accipere munera *pro ferenda sententia*, sive iniusta, ut patet: sive iusta, utpote quam per se ex iustitia ferre debet. Quocirca damnata est ab Alex. VII. prop. 26: «Quando litigantes pro se habent opiniones aequae probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.»

Si peccat Iudex munera recipiens, eo ipso peccat et quisquis illa offerat; cooperatur enim alterius peccato. Excipe, si dentur ad redimendam iniustum vexationem, quando secus iniqua sententia merito timenda videatur. (n. 211. 212.)

NOTA. Acceptatio munerum solet etiam iure *positivo* prohiberi. Cfr. pro iure canonico can. 1624. 1941. § 2. 2037. § 1.

QUAER. 2º *An Iudex teneatur RESTITUERE munera accepta.*

*Resp. Dist.* Munera *liberaliter* data, sistendo in iure naturali, non sunt restituenda; quia quamvis acceptatio sit illicita, non est tamen invalida.

Munera vero data *pro ferenda sententia*, certo tenetur restituere, si accepit pro ferenda sententia *iusta* aut pro *non iniuste* protrahenda causa. Item pro ferenda sententia *iniusta*, ante huius sententiae prolationem. Quia quisquis accipit aliquid ut faciat aut omittat, quod ex iustitia facere aut omittere tenebatur, acceptum restituere debet. Num autem restituere teneatur, postquam iniustum sententiam tulerit, controvertitur, secundum dicta *n.* 846. *qu.* 1. de pactis de re turpi; unde in dubio melior est conditio possidentis. (*n.* 216. 196.)

1234. — III. De iudicio Clerici. QUAESTIO est: *An liceat iudici aliisve ministris publicis munus suum exercere erga CLERICOS.* <sup>1)</sup>

*Praenotandum.* Agitur hic de iis causis sive contentiosis sive criminalibus quae spectata materia dicendae essent mere profanae seu saeculares, sed in quibus intervenit persona ecclesiastica, sive tamquam actor, sive tamquam reus, sive demum tamquam testis. Iudici enim saeculari qua tali in causis etiam ratione materiae exclusive ecclesiasticis, uti in causis quae respiciunt res spirituales et spiritualibus adnexas, nullam iurisdictionem competere ideoque iurisdictionis usurpationem esse prohibitam per se patet. (Cfr. can. 1553.) Quo praenotato:

*Resp. Dist.* 1º Licitum est iudici personam ecclesiasticam admittere tamquam *actorem* vel *testem* vel etiam tamquam *testem citare*. Ratio est quia nec ipsis clericis, iure saltem communi, interdicitur coram iudice saeculari et in causa profana actoris vel testis partes agere.

Aliquando tamen in ipsis iure particulari venia Ordinarii requiritur. <sup>2)</sup> Attamen eo in casu ordinarie saltem hanc veniam petitam fuisse iudici praesumere fas est; quodsi contrarium ei constaret, ratio muneris eum utique ab omni culpa cooperationis excusat.

2º Illicitum est *per se loquendo* convenire clericum tamquam *reum*, uti ministri publici faciunt in causa criminali; vel etiam admittere actionem contra clericum quem persona privata coram eo convenire intendit. Constat ex privilegio fori vi cuius «clericci in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent» (can. 120. § 1.); ideoque per se etiam illicitum est conventioni in foro saeculari per actionis admissionem cooperari. Confirmatur ex poenis can. 2341. contra violantes privilegium fori statutis; in quas poenas, attentis canonibus 2231 et 2209. § 1, etiam cooperatores incurront. Iudex tamen et officiales subordinati non incurront in poenam, quum proprie non trahant reum. <sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Quinam sint clericci, vide supra *n.* 152. *Quaeritur.*

<sup>2)</sup> Cfr. Syn. Prov. Ultrai. 1924. p. 23. Cfr. etiam Cocchi. in can. 120; Maroto. *Inst. Iuris can.* n. 515. (contra *Il Monitore* XXIII. p. 506. XXIV. p. 4. ubi contenditur clericum vel ex iure communi non tamquam testem citari posse.)

<sup>3)</sup> Can. 2341 ita sonat: «Si quis contra praescriptum can. 120 ausus fuerit ad iudicem laicum trahere aliquem ex S. R. E. *Carolinaibus* vel Legatis Sedis Apostolicae, vel *Officialibus maioribus Romanae Curiae* ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel *Ordinarium proprium*, contrahit ipso facto EXCOMMUNICATIONEM Sedi Apostolicae SPECIALI modo reservatam; si atium *Episcopum* etiam mere titularem, aut *Abbatem* vel

*Per accidens* vero tum conventio tum concursus conventioni praestitus licita fieri possunt in triplici casu:

a) si pro aliquibus locis particularibus speciali concessione partim saltem legitime *derogatum* fuit privilegio fori, uti v. g. in Austria, Bavaria, Columbia, per concordata obtinuit. (can. 120. § 1.) Cfr. Vermeersch. *Epitome Iuris*. III. n. 540.

b) si ab eo qui clericum convenit, *venia* obtenta fuit a competente auctoritate ecclesiastica. Porro, «Patiens Cardinales, legati Sedis Apostolicae, Episcopi etiam titulares, Abbates vel Praelati *nullius*, supremi religionum iuris pontificii Superiores. Officiales maiores Romanae Curiae, ob negotia ad ipsorum munus pertinentia, apud iudicem laicum conveniri nequeunt sine *venia Sedis Apostolicae*: ceteri privilegio fori gaudentes, sine *venia Ordinarii loci* in quo causa peragitur.» (can. 120. § 2)

c) si adsit *necessitas* evitandi damnum proportionatum, ad quod subeundum quis non tenetur, ut si iudex aliive ministri publici secus munus semel assumptum depopere deberent.

Utrum privilegium fori *sola consuetudine* alieibi tolli possit neene disputatur. Alii negant quia esset consuetudo irrationabilis atque olim in iure veluti corruptela expresse reprobata. (cfr. can. 27; c. 3. I. 4; c. 14. I. 6; Const. Rom. Pont. Urb. VII. 5. Iunii. [14. Aug.] 1641.) Alii, recentiores praesertim, affirmant etsi aliquando cum restrictionibus; quorum sententia maiorem vim hausit ex nonnullis responsis S. Sedis, occasione Motu proprio *Quantavis diligentia* 9 Oct. 1911 datis; attamen admissa hac sententia nihilominus talis consuetudo etiam centenaria et immemorabilis, tolerari tantum poterit, si Ordinarii pro locorum ac personarum adiunctis existiment eam submoveri non posse. (can. 5.)<sup>1)</sup>

## Articulus II.

### Officia Iudicium iuratorum.

1235. — In nonnullis regionibus inventa est institutio Iudicium iuratorum, in gratiam reorum. *Iurati* vocantur ob iuramentum, quod praestant de munere sibi credito recte exercendo. Sunt autem viri selecti ex civibus ad partem aliquam Iudicium propriam obeundam. Adhibentur tantummodo in causis criminalibus, et munus eorum est iuxta conscientiam pronuntiare circa existentiam delicti et culpabilitatem accusati; deinde Iudices proprie dicti poenam secundum legem decernunt.

*Iurati* easdem contrahunt obligationes ac Iudices proprie dicti, quorum magna ex parte munus exerceunt.

Certum porro est *iuratos* numquam posse iudicium ferre contra accusatum, quem privata scientia insontem esse cognoscunt; sic enim pronun-

Praelatum *nullius*, vel aliquem ex *maioribus* religionum iuris pontificii *Superioribus*, EXCOMMUNICATIONEM latae sententiae Sedi Apostolicae SIMPLICITER reservatam; demum si, non obtenta ab Ordinario loci licentia, aliam personam privilegio fori fruentem, clericus quidem incurrit ipso facto in suspensionem ab officio reservatam Ordinario, laicus autem congruis poenis pro gravitate culpae a proprio Ordinario puniatur.» Cfr. infra tom. II. n. 1050. 1063. 1083. Hic tantum nota delictum *perfectum esse* debere (can. 2228) ideoque poenis praedictis locum non esse quando clericus quacumque de causa reapse coram iudice non comparuit.

<sup>1)</sup> Cfr. hac de re *Il Monitore Eccl.* 1911-12. p. 499. sequ.; 1912-13. p. 84. sequ. *Studiën*. 1912. XLIV. 77. p. 174. sequ. Maroto. *Inst. iuris can.* I. n. 512.

tiando peccarent contra proprium officium et iuramentum, siquidem pronuntiare debent, non secundum iuridice allegata et probata, sed secundum conscientiam suam. (Gury. tom. 2. n. 5. 6.)

Iuratorum institutio *in se spectata* mala non est; verumtamen, cum Judices illi de sententia sua rationem reddere non teneantur, periculo abusus admodum patet; nisi enim iurati viri bonaे conscientiae sint, haud difficulter contingere potest ut maligno animo vel temere sententia proferatur.

## CAPUT II.

### OFFICIA ADVOCATORUM ET PROCURATORUM

**1236.** — Advocatus est, qui causam clientis sui in iudicio defendit. Procurator causae dicitur, qui litigantium vices coram tribunali obit.<sup>1)</sup>

**Principia.** I. Prima Advocati obligatio est habere *scientiam iuris* convenientem; nam officium aliquod suscipientem oportet praeditum esse doctrina, quae ad ipsum rite obeundum postulatur.

II. Secundum eius officium est servare *probitatem*, ut nimirum: 1<sup>o</sup> perscrutetur diligenter iustitiam causae, antequam eam defendendam suscipiat, et si qua iniusta sit, aut penitus desperata, aut etiam improbabilis, eiusdem patrocinium non suscipiat; atque idcirco spem victoriae et periculum amissionis clienti suo sincere indicet; 2<sup>o</sup> causam iustum malis artibus non defendat, litemque studiose non protrahat; 3<sup>o</sup> nonnisi iustum mercedem exigat, lege vel consuetudine taxatam, habita ratione laboris, scientiae sueae, atque difficultatis causae.

III. Tertium denique Advocati officium est *diligentiam* adhibere in causa defendenda; siquidem ob stipendum, quod percipit, ex iustitia tenetur ad studium et diligentiam pro qualitate causae adhibendam, ut litem obtineat.

IV. Advocatus, qui scienter aut ex culpabili ignorantia patrocinatur causae iniustae; vel qui ob ignorantiam, malitiam, negligentiam, aliamve culpam propriam, causa cecidit; vel impensas ultra modum prodegit; aut quovis modo damna iniuste intulit, graviter peccat, et tenetur damna rependere parti laesae.

Quae de Advocatis dicta sunt, generatim ad Procuratores quoque pertinent.

<sup>1)</sup> Hodie in compluribus regionibus Procurator etiam vocatur, qui nomine Gubernii defendit causam legis et ordinis publici. Imprimis id locum habet in causis criminalibus, in quibus agit contra accusatum. Idecirco membrum est *Ministerii publici*, i. e. collegii eorum, quibus tutio publici ordinis tradita est. Chr. n. 1239. sub II.

**1237.** — *Resolutiones.* 1º *Advocatus peccat contra iustitiam erga clientem suum*, si lucri capiendo gratia diu protrahat litem, quae poterat cito expediri; si adversario revelet arcana et merita sibi creditae causae aut, iis cognitis, ad alteram partem transeat; si causam iustum semel susceptam, cliente legitime invito, deserat. (n. 226.)

2º *Peccat erga partem adversam*, si fallaciis, fraudibus, falsis allegationibus, causam clientis sui defendat, etiamsi haec iustissima sit; ad restitutionem tamen tunc non tenetur. Item si convitiis aliisque iniuriis utatur; si, sciens iniustum esse clientis sui causam, adversarium disponat ad transactionem; tunc ad restitutionem obligatur. (n. 226.)

3º In delinquendi necessitatem sese coniicit *Advocatus*, qui plures causas suscepit quam expedire valeat. (n. 226.)

4º Non potest a Confessario absolvi, qui paratus est quasvis causas defendendas suspicere. (n. 223. sub 7.)

5º Peccat, si post acquisitam in progressu notitiam iniustae causae, cui patrocinatur, non statim clientem moneat, ac desistat. (n. 223. sub 6.)

6º *Advocatus* si obtineat sententiam pro causa iniusta clientis sui, tenetur alteri parti non modo litis aestimationem, sed etiam expensas restituere. Si vero cliens suus causam iniustum habens condemnatur, quem prius de iniustitia non monuit, tenetur huic solum expensas resarcire; at, si monuit prius, et ille mihiominus litem non omisit, ad nihil tenetur; quia scienti et volenti non fit iniuria. (n. 223. sub 1.)

7º Non peccat, si in causa manifeste iusta adversarium decipiat; dummodo nulla utatur falsitate, v. g. falsa allegando. (n. 226. 6º)

**1238.** — *Quaestiones.* QUAER. 1º *An possit Advocatus defendendam suscipere causam MINUS PROBABLEM.*

*Resp.* 1º Causam *rei*, concedunt omnes. Quinimo in causis criminalibus reum semper defendere potest, mediis tamen iustis, etiamsi de culpa eius constet; quia *Advocatus* reum defendens nemini infert iniuriam, et reus non tenetur ad poenam, nisi convictus.

2º Causam *actoris* nonnulli negant; sed probabilius et communius affirmant, modo vere probabilis existat, et prudens sit spes victoriae, moneatque clientem de minori probabilitate; tum quia opinio minus probabilis ope studii potest probabilior, imo certa evadere; tum quia opinio, quae *Advocato* minus probabilis appareat, potest Iudici probabilior videri. (n. 220. 222. H. A. n. 70.)

QUAER. 2º *Quid possit Advocatus exigere, si postquam de mercede conventum est, cliens DESERAT causam incoepitam.*

*Resp.* Potest totam mercedem exigere, si per ipsum non stet quominus litem prosequatur, haud secus ac operam suam pro mercede locans hanc exigere potest, si per conductorem stet quod opera non compleatur. Hoc tamen intelligendum, si nulla supervenerit iusta litem deserendi causa; haec enim conditio semper apposita intelligitur in conventione facta. (n. 225.)

QUAER. 3º *An liceat Advocato pacisci de QUOTA LITIS, aut de PALMARIO.*

*Resp.* *Negat.*, neque de *quota litis*, i. e. de certa rei litigiosae parte sibi solvenda, si vicerit: neque de *palmario*, i. e. de extraordinario aliquo praemio ultra salarium, in eventu palmae; quia eiusmodi pacta censentur *Advocatum* ad dolos

et fraudes adhibendas invitare, ut victoriam consequatur. Attamen, si quota litis iustum mercedem non excederet, et dolus ac fraus abessent, ab iniustitia excusaretur. (n. 224. H. A. n. 71.)<sup>1)</sup>

Haec dicta sunt de *pacto*: nam, si palmarium vel quota litis omnino sponte ipsi oblata fuerit, per se non peccat eam acceptando.

*QUAER.* 4º *An Advocatus aliquando teneatur GRATIS patrocinari pauperibus.*

*Resp.* *Affirm.*, nimirum: 1º constitutis in extrema necessitate; idque etiam cum gravi incommodo suo; 2º in gravi necessitate; sed non cum gravi incommodo; 3º in communi necessitate sufficit quod eis ex superfluo temporis et facultatum aliquid largiatur. (n. 221. H. A. n. 69.)

*QUAER.* 5º *An liceat Advocato contra CLERICUM causam dicere coram Iudice laico.*

*Resp.* Generatim non licet sine auctoritatis ecclesiasticae licentia nisi in casibus supra n. 1219. exceptis.

### CAPUT III.

#### OBLIGATIONES ACCUSATORIS

**1239.** — *Accusatio* est solemnis delatio criminis ad competentem Iudicem publicae vindictae causa, cum onere probandi delictum.<sup>2)</sup>

*Denuntiatio iudicialis* est simplex delatio criminis et criminosi ad iudicem, ut is iudicialiter procedat contra delinquentem. Differt itaque ab *accusatione* in eo, quod denuntiator ad criminis probationem non adstringatur, et solemnitas nulla postuletur.

*Principia.* I. *Ministri iudiciales et custodes EX OFFICIO tenentur crimina accusare vel denuntiare*, in quantum nempe conduceit ad commune vel privatum damnum avertendum. Ratio est, quia ad hunc finem a Republica vel a dominis constituti sunt, et stipendium accipiunt. (n. 236.)

Excusandi tamen sunt, si in re levi subinde dissimulant, e. g. cum paupere in levi furto; quia non tenentur tam districte officio suo fungi.

II. *Quilibet tenetur denuntiare crimina, quae vergunt in praiejudicium REIPUBLICAE, vel in grave damnum proximi INNOCENTIS.* Ratio est lex charitatis. Unde, ubi agitur dumtaxat de damno privato, grave incommodum excusat. (n. 236.)

Notandum superest: 1º *Accusatio* proprie dicta, a privatis hominibus facta, hodie in plerisque regionibus abrogata est, illudque officium solis Procuratoribus Gubernii demandatum est; privati possunt tantum delicta denuntiare ministris publicis politiae.

2º Procuratores peccant contra iustitiam, si ex gravi negligentia, praecipitatione, aut odio, innocentem accusant.

Item quando in causae prosecutione innocentiam accusati agnoscent, tenentur ab incepta accusatione desistere.

<sup>1)</sup> Ture can. huiusmodi pactum vetatur et nullum declaratur. (can. 1165).

<sup>2)</sup> In causis *civilibus*, ille qui alteri litem movet, *actor* appellatur.

## CAPUT IV.

## OBLIGATIONES TESTIUM

**1240.** - *Principia. I. Nemo tenetur sponte se offerre ad testificandum, nisi quando eius testimonium necessarium est ad impediendum grave damnum Reipublicae vel alicuius tertii, quod aliter vitari non potest. Colligitur ex communi obligatione charitatis, quae singulos obligat ad grave damnum alterius vitandum, si possint sine gravi documento proprio: verumtamen, ad vitandum grave damnum commune, tenetur quilibet grave damnum subire. (n. 264.)*

*II. Quisquis ut testis leg time CITATUS est, TENETUR comparere, et Iudici legitime interroganti FATERI VERITATEM. Ratio, quia legitimu praecepio Iudicis parendum est.*

Iudex legitime interrogat, quando interrogat secundum praescripta legum; quod facere censetur: 1º quando adest delicti semiprobatio, si nempe adest unus testis oculatus sive auritus; item quando praecessit criminis fama, vel adsunt indicia manifesta; unde semiprobatio ordinarie aderit post coeptum iudicium; 2º si ex delicto Reipublicae vel alicui tertio grave damnum impendet quod nonnisi per iudicem impediri potest.

Excusatur autem testis ab obligatione testandi: 1º si sciat rem sub fide secreti, ut Consiliarius, Advocatus, Medicus; quia Iudex nequit iuri naturae derogare secundum quod servandum est secretum commissum: modo tamen revelatio necessaria non sit ad damnum commune vel grave damnum innocentis avertendum; quamvis in hoc ultimo casu aliqui dubitent, ubi agitur de secreto professionali. (Cfr. n. 1003. 1004. 1250. III.) 2º Si sibi vel suis grave damnum timeat ex testimonio; nisi maius malum alienum, vel malum publicum praevaleat. 3º Si rem a personis fide non dignis acceperit. 4º Si sciat reum immunem esse a culpa, propter ignorantiam, vel aliam causam. (n. 264-268.)

In hisce casibus testis, etiam post iuramentum, licite utitur restrictione mentali: prudenter tamen procedat, ne scandalum praebeat et puniatur.

Advertendum denique, Clericum, qui contra ius particulare sine venia ecclesiastica in iudicium laicum vocatur, illegitime a Iudice civili interrogari; idemque dicendum est de teste, qui citatus est adversus Clericum qui tamquam reus convenitur a iudice civili contra privilegium fori. Recole dicta n. 1219. Cfr. etiam can. 120. § 3.

**III. Testis, qui SCIENTER dicit falsum, GRAVITER peccat, et, si hac ratione causa efficax fuerit damni iniusti, tenetur ad eius IMPEDITIONEM vel REPARATIONEM. Unde tenetur cum pari damno suo, falsum testimonium revocare; etiam cum periculo vitae si sententiae capitalis causa fuerit, fructusque ex revocatione sperari possit. (n. 269.) Recole dicta n. 812. sub d.**

**1241.** — *Quaestiones.* QUAER. 1º *An testis qui bona fide testificatus est falsum teneatur testimonium suum revocare.*

*Resp.* Tenetur si ex eius testimonio damnum iniustum sequatur alteri, ex retractione vero fructus speretur sine timore gravis damni proprii. Quod si tunc omittat, obligatur ad restitutionem. Ratio, quia unusquisque tenetur ex iustitia, non solum non inferre scienter damnum alteri, verum etiam, quantum commode poterit, procurare ne ex actione sua damnum alterius sequatur. Ita Lugo. *De iust. disp.* 39. n. 24. 27 cum communi. Recole dicta n. 766. qu. 1.

QUAER. 2º *An peccet contra iustitiam testis, qui subterfugit ne citetur a Iudice.*

*Resp. Negat.*, quia, si quod ius nascatur alteri ad eius testimonium, id oritur ex pracepto Iudicis; praeciput autem, sicut lex, non obligat quandiu non intimatur. Potest tamen contra charitatem peccare, si testimonium eius necessarium sit ad aliquod grave damnum avertendum. (n. 270.)

QUAER. 3º *An vero peccet contra iustitiam testis, qui, postquam citatus est, fugit, ne compareat.*

*Resp.* Aliqui affirmant; sed communius et probabilius negatur; quia ex citatione Iudicis oritur quidem obligatio obedientiae, non autem iustitiae, cum nequeat Respublica ad actiones personales obligare ex iustitia. (n. 290.)

QUAER. 4º *An contra iustitiam peccet testis, qui legitime interrogatus a Iudice, veritatem occultat.*

Quaestio non est de eo, qui *positive* falsum testatur, sed de eo, qui *negative* se habet respondendo se nescire, dum revera scit. Quocirca:

*Resp.* Plures affirmant, ob officium testis sibi impositum, sicut Iudex tenetur ex officio sententiam ferre pro veritate. Verum alii probabiliter negant; quia Iudex quidem tenetur ex officio assumpto, et consequenter ex quasi-contractu cum Respublica inito, testis vero non tenetur nisi ex pracepto Iudicis, aut ex iuramento praestito, unde tacendo veritatem peccat contra obedientiam, vel etiam contra religionem, sed non contra iustitiam.

Procul dubio tamen, ex pracepto Iudicis quisque tenetur ex iustitia proferre scripturam vel instrumenta<sup>1)</sup> ad causam pertinentia; quia, cum sint res externae, Respublica potest de illis disponere, sicut de aliis bonis civium, quando oportet ad ius illorum tuendum. (n. 270.)

## CAPUT V.

### OBLIGATIONES REI

**1242.** — *Reus vocatur is, cui lis movetur, vel qui de crimine accusatur.*

**Principium.** *Reus legitime, et servato iuris ordine, interrogatus a Iudice, tenetur fateri veritatem, nisi agatur de delicto ab ipso commisso.* Ratio asserti generalis est quia quilibet tenetur obedire Superiori legitimamente, iuste praecipienti; indeque in casu ius Iudicis veritatem exigendi nequit simul

<sup>1)</sup> Instrumentum nuncupatur scriptura ad probationem facta, ut nempe fidem faciat in iudicio.

stare cum iure rei eam negandi. Accedit, quod frustraneum foret ius interrogandi in Iudice, nisi in interrogato esset obligatio respondendi et veritatem fatendi. (n. 274.)

Ratio *exceptionis* est quia nec iura moderna nec ius canonicum post Codicem obligationem fatendi delictum proprium imponunt. Hinc etiam facile restrictio late mentalis habetur, quum ex adiunctis intelligi possit sensum negationis esse: nego delictum quatenus a me confitendum.

In specie in iure civili hodierno in causa CRIMINALI iudices reum tantum interrogant ut responsa pugnantia ex eo eliciant, et hac ratione reus convincatur atque in criminis confessionem adducatur. Unde Confessarius eum urgere non debet ut crimen fateatur. — Ius autem canonicum diserte statuit: « Iudici legimime interroganti partes respondere tenentur et fateri veritatem, nisi agatur de delicto ab ipsis commisso. » (can. 1743. § 1. Cfr. etiam can. 1947; et infra tom. II. n. 428. ubi patet iudicem in causa sollicitationis tantum *exhortari* reum ad delictum confitendum.) — Nec obstat can. 1646 ubi dicitur: « reus legitime conventus respondere debet. » Sensus enim est quod sese per se vel per alium *sistere* debeat iudici legitime eum convenienti negando actoris petitionem vel excipiendo;<sup>1)</sup> de interrogatione vero iudicis ibi non est sermo; caeterum illegitime index procederet si conveniendo praetenderet exigere confessionem delicti.<sup>2)</sup>

Iure romano et iure canonico ante Codicem iudici legitime interroganti per se delictum proprium fatendum erat. Ut autem Iudex reum legitime interrogaret, requirebatur ut vel semiprobatio praecessisset vel grave damnum immineret. Dicitur *per se*; excusabant enim reum: 1º si Iudex interrogat ex falsa presumptione delicti, puta si reus factum sine culpa patrasset, v. g. homicidium ob iustum sui defensionem. (n. 273.) 2º Ex probabili sententia quoque, si de poena gravissima agatur, spes sit eam evadendi, et non immineat grave damnum commune; quia inhumanum videtur, ut, qui convinci non potest, debeat contra seipsum deponere ad gravissimam poenam subeundam. (n. 274. Lib. 3. n. 156.)

In re civili autem, puta si reus sciat debitum suum nondum esse solutum, tenetur aliunde, etiam non interrogatus, satisfacere creditori.

**1243. — Quaestiones. I. De defensione sua. QUAER. 1º An possit reus ad sui defensionem revelare CRIMINA OCCULTA TESTIUM, ad enervandum eorum testimonium.**

*Resp. Affirm.*, dummodo: 1º crimina illa sint vera, reusque illa probare possit; 2º alias ipse grave damnum sit passurus; et 3º id absolute necessarium sit ad innocentiae suae defensionem. Ratio, quia tunc terminos iustae defensionis non excedit. Recole dicta n. 1017. (n. 277.)

**QUAER. 2º An reus convictus teneatur interrogatus criminis sui COMPLICES revelare.**

*Resp.* Tenetur, si contra eos stent indicia, aut testimonia, vel infamia, et reticentia cederet in grave damnum commune. (n. 278.)

**QUAER. 3º An liceat reo innocentii FUGERE, aut positive RESISTERE.**

*Resp.* Potest fugere et positive resistere, v. g. satellites pellendo, eis cominando, e manibus eorum se executiendo. Non potest autem vim inferre vulnerando, occidendo; ob periculum eiusmodi licentiae. Quocirca ab Alexandro VII proscripta est prop. 18: « Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac

<sup>1)</sup> Cfr. Blat. i. h. o. Vermee sch. *Opus Mor.* II. n. 695.

<sup>2)</sup> Cfr. Noval. *de Processibus.* in can. 1646.

etiam iudicem, a quo iniqua certe imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare. » (n. 279. 281.)

1244. — II. De fuga eius. QUAER. 1º *An liceat reo vere SONTI FUGERE ex carcere.*

*Resp. Dist. Affirm.*, tum ante tum post sententiam, si carcer ei assignatus est *in custodiam* tantum; quia utitur iure naturali vitandi grave damnum, quod sibi imminet.

*Negat.*, si carcer iam per sententiam ei assignatus est *in poenam*; quia in exsecutione sententiae iustae tenetur reus obediens. Excipiunt tamen aliqui, si victus necessarius non daretur, vel si carcer esset nimis tristis; quia nimis durum videtur obligare aliquem ad se non liberandum a poena valde dura, cum potest sine vi et resistantia se eripere. (n. 280.)

QUAER. 2º *An liceat reo EFFRINGERE CARCEREM.*

*Resp.* Cui licita est fuga, licet etiam removere impedimenta ad fugam. (n. 282.)

QUAER. 3º *Quid, si damnum inde obveniat CUSTODIBUS carceris.*

*Resp.* Potest reus id permettere; quia utitur iure suo, et damnum istud per accidens evenit.

Notandum porro, illicitum reo esse carceris custodem corrumpere pecunia; quia actio custodis esset intrinsece mala, cum peccaret contra officium suum. (n. 282.)

1245. — III. De fraude in lite civili. Quaeritur nempe: *Quid dicendum de reo, qui in causa civili, ad ius suum CERTUM obtainendum, supposititia instrumenta conficeret.*

*Resp.* Committeret quidem illicitam fraudem: at, cum causa eius iusta est, non peccaret contra iustitiam.

Dictum est in quaestione: *ius certum*; quia, si aliqua ex parte incertum esset, v. g. ex testamento informi, fraus procul dubio contra iustitiam foret, et obligaret ad restitutionem pro rata spei; cum tunc medio iniusto ius incertum certum reddidisset.

## CAPUT VI.

### OFFICIA APPARITORUM

1246. — Apparitores seu nuntii iudiciales sunt, qui iussu iudicis in ius vocant, mandata iudicia perferunt ad partes, et actus iudiciarios exsequuntur. Unde etiam ad solvenda debita cogunt, eumque ad finem, interposito iudicis mandato, bona debitorum divendunt. Debent habere munieris sui *scientiam, fidelitatem et humanitatem* in eiusdem exsecutione.

Porro: 1º Peccant contra fidelitatem et iustitiam, si fidem pro pecunia aut favore prodant in damnum creditoris, efficiendo v. g. ut creditor solutionem

accipere nequeat; si mandata iusto tempore non deferant, ita ut aut actor aut reus ex dilatione vel acceleratione causae damnum patiatur; si excedant mandatum iudicis aut statuta legis in bonis privatorum capiendis; si in iis vendendis pretium iustum non servent, aut partem pretii sibi retineant; si mercedem iusto maiorem exigant. (Gury. tom. 2. n. 16.)

2º Peccant contra humanitatem, si durius agant erga miseros homines angustiis pressos, iisque omnes favores non concedant, quos lex ipsa illis servat. Imo, si asperitate aut minis munera extorquerent ne durius agant, peccant etiam contra iustitiam. (Lehmkuhl. n. 986.)

3º Quaeritur porro, an apparitor, si mittatur ad plures executiones faciendas, possit a singulis debitoribus integrum stipendum exigere. Quocirca distinguere oportet. Si taxatum ei sit salarium pro opere diurno, non potest; si vero commissiones essent disparatae, et pro singulis stipendum assignatum sit, potest pro singulis stipendum exigere. (H. A. n. 68.)

## CAPUT VII.

### OFFICIA SECRETARII ET NOTARII

1247. — *Secretarius* sive *Scriba* est, qui ea, quae intra vel extra iudicium dicuntur et fiunt, auctoritate publica conscribit, atque in acta congerit.

*Notarius* seu *Tabellio* vocatur, qui conficit instrumenta publica, quae tum intra tum extra iudicium fidem faciant. Ambo debent habere *peritiam* eorum, quae muneric sui sunt propria; *diligentiam*, ut officii sui partes accurate et integre impleant; *probitatem*, ut secreta sibi commissa fideliter custodiant, nemini iniustum damnum inferant, atque iustum pretium servent. Quodsi iniusti damni culpabiliter causa exstiterint, ad eiusdem reparationem tenentur.

*Secretarius* peccat, si ex negligentia vel ex malitia aliquid conscribere omittat; si tabellas publicas sibi commissas adulteret, aut male custodiat; si debitas formalitates non observet; si testimonia non fideliter transcribat, augendo, imminuendo, vel invertendo; si secretum prodat, puta sententiam nondum publicatam manifestando, acta sine praescripto iudicis partibus ostendendo, etc. (n. 220.)

*Notarius* peccat, si instrumenta non recte conficiat, sollemnitates necessarias ex incuria praetermittat; si conficiat instrumentum falsum, vel iniustum, vel invalidum; si in instrumentis falsa apponat; si voluntates contrahentium non describat fideliter, vel per ambiguas formulas litibus et iniustitiis ansam praebat; si partes non moneat de clausulis, quae eis nocere, aut de difficultatibus, quae inde nasci possint; si testamentum scribat hominis rationis usu destituti; si testes falsos admittat; si testimonium aliquod necessarium clienti suo non exhibeat; si acta occultet, vel parti petenti apographum neget, vel ea aliis quam

partibus communicet; si instrumentorum expeditionem differat ut pecuniam extorqueat; si acta et instrumenta negligenter custodiat cum periculo damni partium; si culpa sua eadem amittat; si quid in illis adulteret cum damno alterius; si secretum violet; si amanuensi aliquid committat cum erroris periculo; si ministris suis invigilare negligat, et propterea instrumenta perperam confiantur; si subseribat instrumentis, sive ab aliis Notariis, sive a propriis ministris confectis, quin diligenter ea recognoverit. Item, si pretium ultra taxatum vel probatam consuetudinem exigat; si salarii adaugendi causa negotia pertractanda protrahat, paginas scripturae multiplicet; si pecunias apud se depositas dominis potentibus non restituat, sub vanis praetextibus, ut interea ipse exinde lucrum faciat, etc. (n. 230. Gury. tom. 2. n. 21.) Recole dicta n. 812. sub d.

**1248. — Quaestio.** *Quaestio movetur hoc loco, an Notarius ad restitutionem erga fiscum teneatur, si in confiendo instrumento venditionis aut inventarii, postulantibus partibus, aut ipso insinuante, non verum rei pretium inscribat, sed aliud minus, ut tributum solvendum imminuat.*

*Resp. Controv.* Alii affirmant; quia cooperatur defraudationi tributorum, quod inique et iniuste fit a magistratu, cui Respublica confidit. Alii negant dummodo infimum saltem pretium referat. Alii tandem absolute negant, ob generalem consuetudinem, etiam proborum. Ita Gury. n. 22.

Resolutio mihi videtur ex eo dependere utrum partes ea defraudatione peccent contra iustitiam necne; quum enim Notarius ex officio non sit tributorum exactor, sed instrumentorum factor, eatenus ipse peccat contra iustitiam, quatenus cooperatur iniustae actioni alterius.

## CAPUT VIII.

### OFFICIA MEDICORUM ET PHARMACOPOLARUM

**1249. — Officia utriusque.** Tenentur sub gravi: 1º habere scientiam et peritiam sufficientem; 2º adhibere diligentiam proportionatam gravitati rei, quae ipsorum curae committitur; 3º iustum pretium servare. Si in hisce culpabiliter deficiant, restitutioni damni, si secutum sit, obnoxii sunt: — Tenentur quoque ex charitate opem gratis ferre pauperibus in gravi infirmitate constitutis.

**1250. — Officia medici in specie. I.** Adhibere debet *remedia certiora et tutiora*; attamen, quando de salute infirmi desperatur, licet remedium adhibere periculosum, probabiliter profuturum et probabiliter nocitulum; quia in illa rerum desperatione aliqua spes vitae praeponenda est periculo mortis accelerandae. Non licet vero, explorandi solum gratia prorsus incerta et inexplorata remedia applicata infirmis, etiam desperatis, cum periculo graviter nocendi. (n. 291. Lib. 1. 44. 45. 46.)

II. Simul ut appareat mortis periculum, tenetur Medicus ex paecepto naturali charitatis infirmos *de Sacramentis suscipiendis monere*; potior siquidem est animarum quam corporum salus. Sed detestanda et graviter peccaminosa est multorum Medicorum praxis, qui infirmis blandiuntur usquedum omnino de vita desperant; unde evenit ut infirmi dictam monitionem tamquam certae mortis nuntium reformident, atque multi damnentur, qui aut inconfessi, aut male confessi decedunt. (*Lib. 6. n. 664. Prax. Conf. n. 57. Cfr. can. 865. 944.*)

Imo, etiam extra mortis periculum, medicus tenetur attendere ad patientis necessitatem spiritualem; quae si gravis est, puta quia aegrotus est in statu peccati mortalis, non licet ob bonum corporis aegrotum privare assistentia sacerdotis; et generatim in collisione boni spiritualis et corporalis aegrotantis, bonum spirituale, caeteris paribus, bono corporali paeponendum est; unde non licet ob *quodvis* incommodum aegroto denegare Communionem ex devotione. In dubio, collatis consiliis, iudicium decisivum sacerdoti relinquendum est.<sup>1)</sup>

III. Tenetur medicus *servare secretum* (etiam inter collegas suos) et quidem: 1º secretum *naturale* circa ea omnia quae etiam mere *occasione* exercitii muneris sui rescivit atque simul talis sunt naturae ut eorum revelatio aegroto aliisve iustae displicantiae vel damni causa esset; 2º secretum *commissum* circa ea omnia quae *vi officii* adimpleti circa aegrotum aliosve rescivit. Cfr. supra n. 1003. Aliquando etiam accedit obligatio religionis ex iuramento *vi legis civilis* in ingressu muneris emissio.

Excusatur tamen medicus a servando secreto quoties causa proportionata illud revelandi habetur. Porro: 1º Causa talis esse potest *bonum commune*, ut si morbus contagiosus denuntiandus sit, ne tota Communitas eo inficiatur: non vero quaeviis ratio boni communis est sufficiens, sed paeponderare debet isti bono communi quod invenitur in servando secreto medicorum. Unde medico nequaquam semper licitum est iudici interroganti integrum veritatem manifestare.

2º Non est causa sufficiens, si medicus interrogetur a *societate assecurationis*; excipe si medicus nomine ipsius societatis, assentiente assecurando, examen instituerit.

3º Utrum umquam liceat, imo incumbat medico tradere secretum ad avertendum *grave damnum innocentis*, auctores dissentient, prout ratio boni communis ipsis hoc in casu pro custodia an potius pro revelatione secreti militare videtur. Plures a servando secreto excusant; pauciores eius custodiam urgent; unde practice revelatio secreti licita, sed non obligatoria esse videtur. Quare licitum esse videtur medico paevenire sponsam de miseris quas paevidit matrimonii contrahendi sequelis, postquam frustra sponsum ad morbum suum sponsae detegendum vel matrimonium non ineundum monuerit.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Cfr. N. K. Stemmen. 1917. p. 130-138.

<sup>2)</sup> Cfr. Génicot. I. n. 432. Cas. conc. I. cas. 217. De tota hac materia cfr. Beukers. *Het Beroepsgehein van den Genzesheer*; atque *Studiën*. 1916. 85. p. 174. sequ.; 1917. 87. p. 24. 437. 659.

1251. — **Resolutiones.** 1º Medicus peccat, si sine sufficienti peritia gravem morbum curare tentet, aut occurrente morbo insolito, speciali studio operam non impendat; si opportunis temporibus secundum varias aegrotorum necessitates ipsos non visitet, et omnia remedia apta ad morbum propellendum non adhibeat; si non sinat alios Medicos, ubi opus est advocare; si curationem lucri causa protrahat; visitationes, dum pro singulis salarium exigit, inutiliter multiplicet, vel si nimium pretium exigat; si ad favendum Pharmacopolis amicis, pharmaca superflua praescribat; si quid legi divinae contrarium suadeat, v. g. pollutionem, onanismum, abortum; si abortum ipse procuret; si divulget aegritudines, quae aegroto possint infamiam adducere; si pauperum curam negligat, cum stipendium pro ea accipit, vel sine stipendio, cum pauperes sunt in gravi necessitate; si sine legitima causa a paecepto abstinentiae et ieunii solvat. (n. 291.)

2º *Pharmacopola* peccat, si sine peritia et diligentia medicamenta conficiat: si contra Medici praescriptum unum pro alio pharmacum porrigat, nisi aequum bonum et non carius sit; si medicamenta evanida vel inutilia praefbeat; si res periculosas, puta venena, sine praecautione aut sine Medici praescripto vendat; si praegnantibus remedia ad abortum procurandum praestet; si arcanum, ubi opus est, non servet; si pauperibus in gravi infirmitate constitutis gratis non succurrat. (n. 291.)

## CAPUT IX.

### OBLIGATIONES ARTIFICUM ET OPIFICUM

1252. — Generatim tenentur: 1º opera sibi commissa confidere integra, sine vitiis noxiis; 2º tempus operando impigre insumere; 3º iustum servare pretium.

Speciatim contra iustitiam peccant: 1º Fabri aurarii et argentarii, qui aurum et argentum adulterant, inter vacua plumbum infundunt, gemmas infra iustum pretium ab ignorantibus emunt, aut factitias pro naturalibus vendunt.

2º Pannifices et lanifices, qui vilem lanam bonae immiscent, tantique vendunt, quanti si tota materia foret eiusdem qualitatis; qui initium et finem voluminis panni ex lana multo meliori textunt; qui fucatis coloribus utuntur. Mercatores pannarii, qui decepti pannos emendo, vendendo alios pariter decipiunt.

3º Molitores, qui grana submutant, aut eis res viles, uti fabas, commiscent, ad augendum pondus et copiam; qui pro salario detinent de frumento vel farina ultra praxim timoratorum.

4º Pistores, qui farinam triticeam alia farina ex secale, hordeo, fabis, etc. malitiose adulterant; qui panum pondus fraudulenter imminuunt.

5º Laniones, qui insalubres aut corruptas carnes vendunt, e. g. in farciminibus, aut deteriorem qualitatem pro meliori tradunt.

6º Sartores et sutores, qui panno aut corio corrupto vel adusto utuntur; qui plus materiae exigunt quam ad opus sit necessarium, ut residuum sibi retineant.

7º Typographi, qui exemplaria maiori in numero, quo conventum est, excudunt et sibi ea retinent; qui adulterinas editiones faciunt contra ius alterius privilegiati; qui papyrus non exhibent eiusdem qualitatis ac promiserant, etc. Item peccant, si libros prohibitos imprimant aut vendant. Ita Gury. n. 37. S. Alf. n. 292.